eruditus agnoſcit deum fore nobis propicium
niſi forte eius indignatōnem culpe offendiculo
improuide incurramꝰ. Illud quoqꝫ quatuor co
loribus auroqꝫ contextū erat. et hic vt premiſ=
ſum eſt ratōnes varietatū in eccleſiaſticis rebꝰ
atqꝫ officijs quatuor ſenſibus videlicet hyſtori=
co allegorico tropologico ⁊ anagogico fide me
dia colorant̄. Diſtinguit̄ aūt in octo ptes quas
ſeriatim fauente domino ꝓſequemur. In quarū
prima agetur de eccleſia ⁊ eccleſiaſticis locis. ⁊
ornamētis. de ꝯſecratōnibus ⁊ de ſacramentis.
In ſecunda de eccleſie miniſtris et eoꝝ officijs.
In tercia de ſacerdotibꝰ ⁊ alijs indumētis. In q̄r
ta de ſingulis que in ea agunt̄. In quīta de alijs
diuinis officijs in genere. In ſexta ſpecialiter de
ſingulis dominicis et ferijs et feſtiuitatibus ad
dominum pertinentibus. In ſeptima de feſtiuita
tibus ſanctorum ⁊ de feſto et offitō eius ⁊ dedi
cationis eccleſie ac mortuoꝝ. In octaua de cō=
poto et kalendario.

Incipit liber primus de eccleſia et eccleſiaſticis
locis et ornamentis et de conſecratōnibus et ſa
cramentis.

In hac ergo prima huiꝰ operis parte de quibuſ
dam generalibus tractare preuidemus videlicꝫ

De eccleſia et eius partibus.
De altari.
De picturis ⁊ imaginibꝰ ⁊ ornamētis eccleſie.
De campanis.
De cimiterijs et alijs ſacris locis.
De eccleſie dedicatōne.
De altaris conſecratione.
De conſecratōnibus et vnctionibus.
De ſacramentis eccleſiaſticis

De eccleſia et eius partibus.

Prius eſt vt de eccleſia
et eiꝰ ꝑtibus videamꝰ.
Notandum eſt ergo ꝙ
eccleſiarū alia eſt cor=
poralis in qua videlicꝫ
diuina officia celebran
tur. Alia ſpūalis que
eſt fidelium collectō ſi
ue populꝰ ꝑ miniſtros
cōuocatꝰ. ⁊ in vnū con
gregatus ab eo qui vnanimes habitare facit in
domo. Sicut enim corporalis ex congregatis la
pidibus conſtruit̄ ſic et ſpūalis ex diuerſis homi
nibus congregat̄. eccleſia ergo grece dr̄ conuo
catio latine. quia omnes ad ſe vocat. quod nomē
magis ꝓprie ꝯuenit eccleſie ſpirituali q̄m corpa
li quoniam homines nō lapides ꝯuocant̄ ſepe ta
men nomen ſignati attribuit̄ ſignanti. Eccleſia
autem materialis ſpūalem deſignat vt dicet̄ vbi
de eius conſecratōne aget̄. Rurſus eccleſia gre=
ce dr̄ catholica. id eſt vniuerſalis quia per totum
mundum eſt cōſtituta ſeu diffuſa. quia vniuerſi
in deum credentes in vna debent eſt congrega=
cione. vel quia in ea eſt generalis doctrina ad in
ſtructionem omnium fideliū. Synagoga quoqꝫ
grece congregatio dr̄. quod proprium nomē iu
deorum populus tenuit. ipſoꝝ enim ꝓprie ſina=
goga dici ſolet quāuis et eccleſia dicta ſit. Apo
ſtoli tamē nunquam ſinagogam ſed ſemp eccle
ſiam forte diſcernēdi cauſa. Dicit̄ etiā pn̄s eccle
ſia ſion. eo ꝙ ab hac pegrinatōne lōnge poſita ꝓ
miſſionem rerum celeſtium ſpeculatur. et ideo ſi
on id eſt ſpeculatio nomen accepit. Pro futuro
vero patrie pace iheruſalē vocat̄. Nam iheruſa=
lem pacis viſio interpretatur. Dicit̄ etiā eccleſia
domꝰ dei ſic dicta. a dogmate quod grece dr̄ re=
ctum. quaſi dās manere vnanimes in ſe. Dicitur
etiam quandoqꝫ kiriaca id eſt dominicalis. Quan
doqꝫ baſilica qḋ verbū grece ſonat latine regia
ſeu regalis a rege ſcꝫ baſilio. Carnaliū em̄ regū
pallacia ſic dicta ſunt. Noſtra aūt orōnis domꝰ
regia dr̄ quia in ea regi regum ſeruitur. Quan=
doqꝫ templū quaſi tectuꝫ amplū in quo regi deo
ſacrificia offerūtur. Et quandoqꝫ dei tabernacu=
lum quia in pn̄ti vita pegrina eſt. et in itinere ad
patriam pergens vt iam dicet̄. Vel dicitur taber
naculum quaſi taberna dei. ꝓut ſub eccleſie dedi
catione dicetur. Quare etiā dictū eſt tabernacu
lum vel arca teſtimonij ſub altari dicetur q̄ndo=
qꝫ vere martirium qḋ in honorem alicuiꝰ marti
ris ſācti fit. Quādoqꝫ capella ꝓut in ſecūda pte
ſub tractatu de ſacerdote dicet̄. Q̄n̄qꝫ cenobiuꝫ
Quandoqꝫ ſacrarium. Quandoqꝫ ſacellū. Quan
doqꝫ domus oratōnis. Quandoqꝫ monaſterium
et quandoqꝫ oratorium. Generaliter tamen quili
bet locus ad orandum ſtatutus oratorium dici
poteſt. Rurſus eccleſia q̄ndoqꝫ dr̄ corpus xp̄i
Quandoqꝫ etiam virgo vocatur. iuxta illud. E=
mulor enim vos ⁊c̄. Quandoqꝫ ſponſa q̄m xp̄s
deſponſauit in fide de qua in euangelio. Qui ha
bet ſponſam ſpōſus eſt. Q̄n̄qꝫ mater quia quoti
die in baptiſmo ſpūales filios deo parit. Q̄n̄qꝫ
filia iuxta illud prophete. pro patribus tuis na
ti ſunt tibi filij. Item quandoqꝫ ponitur vidua
quia ꝓpter preſſuras nigreſcit ⁊ vt rachel nō cō
ſolatur. Quandoqꝫ meretrix figuratur ꝓpter ec
cleſiam de gentibꝰ ꝯgregatam. Quandoqꝫ voca
tur ciuitas ꝓpter ꝯmunionem ſanctorum ciuiuꝫ
murata ꝓpter munitōnem ſcripturaꝝ. quibꝰ he
retici arcentur. habens lapides et ligna diuerſi
generis. quia diuerſa ſunt merita ſinguloꝝ ꝓut
iam dicetur. Quicquid aūt ſinagoga per legem
accepit. hec nūc eccleſia a xp̄o cuius ſpōſa eſt ꝑ
graciam recipit et in melius ꝯmutauit. Sane
non eſt noua oratorij ſiue eccleſie inſtitutō. Pce
pit nanqꝫ dominus moyſi in monte ſinai vt face=
ret tabernaculuꝫ de cortinis mirifice fabricatis
Diuiſum em̄ erat interpoſito velo in duas ptes
cuius pars prior ſancta vbi populꝰ ſacrificabat
interior vero ſancta ſanctoꝝ vbi ſacerdotes ⁊ le
uite miniſtrabant dicebatur. vt dicet̄ in ꝓhemio
quarte partis. Quod poſtquā vetuſtate ꝯſump
tum eſt iuſſit dominus fieri templū qḋ ſalomon
edificauit opere mirifico. duas habēs partes vt

et tabernaculum · Regum·iij·c·viij ·Ab vtroqꝫ vero ſcꝫ a tabernaculo et a templo noſtra materialis eccleſia formā ſumpſit·In cuius pte anteriori populus audit ⁊ orat · In ſanctuario vero clerus predicat iubilat ⁊ miniſtrat·Tabernaculum aūt quia in itinere factum q̄nqꝫ gerit typū mundi qui tranſit et concupiſcencia eius ·Vnde conſtat ex quatuor cortinarum coloribus ſic̄ et mundus cōpactus eſt ex quatuor elemētis·Deꝰ igitur in tabernaculo·deꝰ eſt in hoc mūdo velud in templo xp̄i ſanguine rubricato · Expſſe vero tabernaculū typum gerit eccleſie militātis que non habet hic manētem ciuitatē·ſed futuram inquirit·Ideoqꝫ dr̄ tabernaculum ·tabernacula eñ militanciū ſunt· deus eñ in tabernaculo deus ē in fidelibus·ſuo nomine congregatis·Pars prima tabernaculi in qua populus ſacrificabat vita eſt actiua·in qua populus in ꝓximi dilectōne laborat·pars altera in qua leuite miſtrabāt vitā eſt contemplatiua· in qua dilectōni et contēplacioni dei religioſorum virorum ſincera conuerſacio vacat· Tabernaculū vertitur in templum qr de milicia currit ad triumphum·Eſt aūt eccleſia ſic edificanda·Parato nanqꝫ fundamēti loco iuxta illud·Bene fūdata eſt domꝰ domini ſuper firmam petrā·debet ep̄s vel ſacerdos de eius licencia ibi aquā aſpergere benedictā·ad abigendas inde demonum fantaſias ·⁊ primarium lapidem cui impreſſa ſit crux in fūdamēto ponere ·Debꝫ q̄ꝫ ſic fundari vt caput recte inſpiciat verſus orientem de quo dicetur in ꝓhemio·v·ptis videlicet verſus ortū ſolis equinoxialem·ad notandū q̄ꝫ eccleſia que in terris militat temꝑare ſe debet equanimiter in ꝓſperis ⁊ in aduerſis ·et nō verſus ſolſticialem·vt faciunt quidam· Ceterū ſi muri iheruſalē que edificatur vt ciuitas edificari per iudeos iubentur ſcd̄m ꝓphetā·q̄nto magis et nos muros eccleſie noſtre edificare debemꝰ·

Siquidem eccleſia materialis in qua populꝰ ad laudandū deum ꝯuenit ·ſanctam ſignificat eccleſiam·que in celis viuis ex lapidibꝰ conſtruitur· Hec eſt domꝰ domini firmiter edificata cuius fūdamentum eſt angularis lapis xp̄s · ſuper quo fundamento poſitū eſt fundamentū apoſtoloꝝ et ꝓphetarum·ſicut ſcriptū eſt·Fundamēta eiꝰ in montibus ſanctis·Superedificati parietes iudei ſunt et gentiles · de quatuor mundi ptibus ad xp̄m venientes et qui per ipſum crediderunt ſeu credunt et credent·Fideles aūt ad vitam p̄deſtinati ſunt lapides in ſtructura huius muri·qui ſemper vſqꝫ ad finē huiꝰ mundi edificabit̄·lapis vo ſuper lapidem ponitur q̄ndo magiſtri eccleſie minores in ꝓprium ſtudium aſſumunt ad docendū et corrigēdum et ſtabiliendū ·In ſācta eccleſia habet lapides ſuper ſe· ad ferendū pro edificio quicunqꝫ laborem fraternum portat·groſſiores vero lapides et politi ſeu quadrati qui ponūtur altrinſecus foris in quoꝝ medio minores lapides iacēt ſunt viri ꝑfectiores qui ſuis meritis ⁊ orationibꝰ ꝯtinent infirmiores in ſancta eccleſia cementum aūt ſine quo muri ſtabilitas eſſe non poteſt·fit ex calce ſabulo et aqua · Calx feruēs caritas eſt·que ſibi ꝯiungit ſabulum ideſt terrenum opus·quia vera caritas ſollicitudinē maximam habet mixtam pro viduis ſenibus·pupillis et debilibus·Et i deo ſtudet operari manibus vt habeat vnde eis benefaciat·Vt aūt calx ⁊ terra ad edificium muri valeāt aque ꝯmixtione ꝯglutinantur·Siquidem aqua ſpiritus eſt·Sicut eñ ſine cemento lapides muri nō ſil' iunguntur ad muri ſtabilitatē·ſic nec homines ad muri edificium celeſtis iheruſalē poſſunt ſimul ſinē caritate iungi·q̄m ſpūſſanctus operatur·Omnes muri lapides politi ſunt et quadrati ideſt ſancti mūdi ⁊ firmi·qui videlicet per manus ſummi artificis diſponuntur in eccleſia permanſuri·quorum quidam ferūt̄ ⁊ nō ferūt vt ſimpliciores in eccleſia alij ferūtur et ferunt vt medij·alij tantum ferūt ⁊ non ferūtur niſi a ſolo xp̄o qui eſt ſingulare fūdamētum vt perfecti omnes quidē vna caritas more cementi cōiungit·dum viue lapides pacis cōmpage colligātur · Xp̄s noſter murus fuit in cōuerſatōne·⁊ antemurale in paſſione·Sane iudeis muros iheruſalem edificantibꝰ aderant inimici volentes illorum opus impedire ita q̄ ſicut in eſdra legitur adeo ab hoſtibus infeſtabantur q̄ vna manu ponebant lapides in muros·et alia manu cōtra hoſtes pugnabāt·Et nobis muros eccleſie edificantibus aſſunt in circuitu inimici ſcꝫ vicia ſiue ꝑuerſi homines opa noſtra impedire volētes·Vnde muros ideſt virtutes edificando hoſtes impugnemꝰ·et iuxta morē iudaici populi teneamus arma noſtra·i·ſcutum fidei·loricam iuſticie·galeam ſalutis·⁊ gladiū verbi dei in manibꝰ nr̄is·vt nos contra illos defendamꝰ Et opilio ſeu ſacerdos ſit nobiſcum vice xp̄i·qui doceat nos per lectōnem ⁊ muniat per orationē Porro ex quibꝰ tabernaculū in veteri teſtamento fieret oſtēdit dominꝰ dicēs in exo· ad moyſē Sume primicias ideſt precioſa queqꝫ a populo iſrahel·ſed ab eo tantū qui vltro obtulerit auꝝ et argentū et es iacinctū ⁊ purpurā coccumqꝫ bis tinctum·i·ſetam iacinctini et purpurei ⁊ coccinei coloris · et biſſim qd̄ eſt genus lini egipciaci molle et candidum piloſqꝫ capraꝝ et pelles arietum rubricatas·quas parchitas dicimꝰ qr parchi ſic colorati eas excogitauerūt· et pelles iacinctineas et ligna ſethim i nomen mōtis ⁊ regionis et arboris que eſt ſimilis albe ſpine in folijs et eſt leuiſſimū lignū ⁊ imputribile ⁊ incremabile oleū q̄ꝫ ad lumiaria ·⁊ aromata i vnguēta ⁊ thimiama boni odoris ⁊ lapides onichinos ita quod ſardonices ⁊ gēmas ſanctuariū faciāt michi vt habitem in medio eoꝝ ·ne ſit eis labor recurrere ad mōtem hūc·hec plene magiſter in hyſtorijs ꝓſequitur ſuper exo·Diſpoſitō autem eccleſie materialis modū humani corporis tenet cancellus ſiue locus vbi altare eſt caput repn̄tat · crux ex vtraqꝫ pte brachia et manus ·reliq̄ pars ab occidente quicquam corpori ſupereſſe

videtur· ſacrificiū altaris votū ſignificat cordis
Sed ꝛ ſcd̄m Rich· de ſancto victore diſpoſitō ec
cleſie triplicem ſtatum in eccleſia ſaluandorū ſig
nificat ordinem virginum· chorus cōtinentium
corpus ꝯiugatorum Strictius eſt eñ ſanctua=
rium q̄z chorus ꝛ chorus q̄m corpꝰ· quia pauci
ores ſunt virgines q̄m ꝯtinentes· ꝛ iſti q̄m cōiu=
gati· Sacratior quoqz eſt locus ſanctuarij quaz
chorus· et chorus q̄m corpus· quia dignior eſt
ordo virginum q̄m continentium· et illoꝝ q̄m cō
iugatorum· Ad hoc eccleſia ex quatuor parieti=
bus ideſt ex doctrina quatuor euangeliſtaꝝ lō
ga lataqz ſurgit in altum ideſt in alta virtutum
longitudo cuius longanimitas eſt· que pacient̄
aduerſa tollerat donec ad patriam ꝑueniat · lati
tudo caritas eſt· que dilatōne mentis amicos in
deo ꝛ inimicos diligit propter deum · Altitudo
vero ſpes eſt future retributionis· que proſpe=
ra ꝛ aduerſa cōtemnit· donec videat bona deinde
in terra viuentium Rurſus in templo dei ſeu gr̄e
eſt fundamentum fides· que eſt de re non viſa ·
tectum caritas que operit multitudinem pecca=
torum· oſtium obediētia de qua dominus inquit
Si vis intrare vitam ſerua mādata· pauimentū
humilitas de qua p̄s · Adheſit pauimēto anima
mea· quatuor laterales parietes ſunt q̄tuor prin
cipales virtutes· iuſticia· fortitudo· prudentia ·
et tempantia· Hic ſunt in apoca· quatuor latera
ciuitatis equalia· feneſtre ſunt hoſpitalitas cum
hilaritate· et miſericordia cum largitate· de hac
domo dominus ait· Veniemus ad eum ꝛ manſio
nem apud eum faciemus· Quedam tamē eccle=
ſie in modū crucis formātur· ad notandum nos
mundo crucifigi ſeu crucifixū ſequi debere iuxta
illud· Qui vult venire poſt me abneget ſemetip
ſum ꝛ tollat crucem ſuā ꝛ ſequat̄ me· Nonnulle
etiā in modum circuli rotundi formant̄· que ſig
nificant eccleſiam dilatatam eſſe per circulū or
bis· Vñ illud· et in fines orbis terre verba eoꝝ
ſeu ꝙ de circulo orbis perueniemus ad circuluz
corone eternitatis· Sane chorus clericorum eſt
conſenſio cantanciū· vel multitudo in ſacris col=
lecta· Dictus eſt aūt chorus a chorea vel coro=
na· olim eñ in modum corone circū aras ſtabāt
et ita pſalmos concorditer concinabāt· Sed fla=
uianus et theodorus alternatim pſallere conſti
tuerunt edocti ab ignatō· qui ſup hoc fuit diuini
tus edoctus· Duo ergo chori pſallentium deſig=
nant angelos ꝛ ſpūs iuſtorum quaſi reciproca
voluntate laudācium ꝛ ſe ad bonā opatōnē mu
cem exhortantiū· Alij choꝝ dixerunt a ꝯcordia
que in caritate conſiſtit· quia qui caritatem non
habet ꝯuenienter cantare non poteſt· Quid aūt
chorus iſte ſignificet et quare in illo maiores ſe
dent poſteriores dicet̄ in quarta pte ſub introi=
tu et ſub ti· de acceſſu pon· ad al· Et nota qꝛ cum
vnꝰs cantat dr̄ grece monodia· latine ticinium·
cum vero duo cantant bicinium appellat̄· cū mul
ti chorus· Exedra eſt abſida ſiue volta quedā
ſepata modicum a templo · vel palacio ſic dicta

quia extraheret muro· grece autē ſidon vocatur
et ſignificat fideles laycos xp̄o et eccleſie inhe=
rentes· Cripte ſiue ſpecus ſubterrance · que in
quibuſdā ſiūt eccleſijs· ſunt heremite cultores ſi
quidem ſecretōris vite· Atrium eccleſie ſignifi
cat xp̄m per quē celeſtē iheruſalem patz ingreſ
ſus · quod et porticus dr̄ ſic dicta a porta vel ꝙ
ſit aperta· Turres eccleſie p̄dicatores ſunt et
prelati eccleſie· qui ſunt munimen et defenſio eiꝰ
Vnde ſponſus ad ſpōſam in canticis amoris ſic
loquitur· collum tuum ſicut turris dauid edifi=
cata cum ꝓpugnaculis· Pinnaculum turris vi=
tam vel mentē p̄lati que ad alta tendit repſentat
Gallus ſup eccleſiam poſitus predicatores deſig
nat· Gallus enim ꝓfunde noctis peruigil horas
eius cantu diuidit· dormiētes excitat· diem appro
pinquantem precinit· ſed prius ſeipſum alarum
verbere ad cantādū excitat· hec ſingula miſterio
non carent· Nox eñ eſt hoc ſeculum· dormiētes
ſunt filij huius noctis in peccatis iacentes· Gal=
lus predicatores qui diſtincte predicant et dor=
mientes excitant· vt abiciant opera tenebrarum
clamanteſue dormientes· Exurge qui dormis· lu=
cem futuram prenunciāt· dum diem iudicij ꝛ fu
turam gloriam predicant· et prudenter antequā
alijs virtutes predicent ſe a ſomno· peccati exci
tantes corpus ſuum caſtigāt· Vnde apo· Caſti=
go corpus meū ꝛc̄· Hij etiam ſicut et gallus cō
tra ventum ſe vertunt quando increpando et ar
guendo cōtra rebelles fortiter reſiſtunt· ne lupo
veniente fugiſſe arguant̄· Virga ferrea in qua
gallus ſedet rectum repñtat· p̄dicātis ſermonē
vt non loquatur ex ſpū hominis ſed dei iuxta il=
lud· Si quis loquit̄ quaſi ſermones dei· ꝛc̄ · Qd
vero virga ipſa eſt ſupra crucē ſeu ſūmitatē ec=
cleſie poſita· innuit ſermonē ſcripturaꝝ ꝯſumā
tum eſſe ꝛ ꝯfirmatū· Vñ dominꝰ in paſſione ait ·
Conſumatū eſt· et titulus eius ſup eum indelebi
liter ſcriptus eſt· Collus ideſt ſummitas templi
eminēs ꝛ rotūda ſup quē crux ponitur · ꝑt̄ ſui
rotūditatem ſignificat q̄m perfecte et inuiolata
catholica fides predicanda ſit et tenenda· Quaz
niſi quiſqz integram inuiolatāqz ſeruauerit abſ
qz dubio ineternū pibit · Feneſtre eccleſie vitree
ſunt ſcripture diuine que ventum et pluuiam re
pellūt· i· nociua ꝓhibent· et dum claritatem veri
ſolis· ideſt dei in eccleſiam ideſt in corda fidelium
tranſmittunt inhabitantes illumināt Hee intus
latōres ſunt· quia miſticus ſenſus amplior eſt ꝛ
precellit literam · Item per feneſtras quinqz ſen
ſus corporis ſignificant̄· qui extra stricti eſſe de
bent · ne vanitates hauriant · ꝛ intus patere ad
dona ſpūalia liberius capienda · Per cancellos
vero qui ſunt ante feneſtras ꝓphetas vel alios
doctores obſcuros intelligimꝰ eccleſie militātis
in quibus ob duo caritatis p̄cepta · q̄ndoqz duo
columne duplicant̄ ſecundum ꝙ et apoſtoli bini
ad p̄dicandū mittunt̄· Oſtium eccleſie eſt xp̄us·
Vnde in euangelio· Ego ſum oſtiū dicit dominꝰ
Apoſtoli etiā porte eꝰ ſunt dictuz· eſt aūt oſtiū

ab obſiſtendo hijs qui foris ſunt vel ab obſiſtēdo
hijs qui foris ſūt· vel ab offēdendo aditū· Valua
vero dicitur a voluendo Porta a portando qꝛ ꝑ
eam portantur quecunqꝫ offeruntur· Columne
vero eccleſie epiſcopi et doctores ſunt ·qui tem-
plum dei per doctrinam ſicut ⁊ euāgeliſte thro-
num dei ſpūaliter ſuſtinent· Hij nempe pro ſono
ritate diuini eloquij argentee columne dicūtur
iuxta illud in canticis canticorum· Colūnas fecꝫ
argēteas Vn̄ ⁊ moyſes in ingreſſu tabernaculi
poſuit quinqꝫ columnas et ante oraculum ideſt
ſancta ſanctorum· iiij ·quod exponetur in vj· pte
ſub ti· de tempore aduentus· Licet aūt columne
plures ſint tamen ſeptem eſſe dicunt̄ iuxta illud
Sapientia edificauit ſibi domū· et excidit colum
nas vij· quoniam epiſcopi eſſe debent ſeptiformi
graciā ſpiritusſancti repleti ⁊c̄ Jacobus enim ⁊
iohannes vt ait apoſtolus videbantur columne·
Baſes columnaꝝ ſunt apoſtolici epiſcopi ·vni-
uerſalis eccleſie machinā ſupportantes· Capita
columnarum ſunt mentes epiſcopoꝝ et docto-
rum· ſicut eīm capite mēbra ſic mente verba nr̄a
dirigunt̄ et opera· Capitella quoqꝫ ſunt verba
ſacre ſcripture quorū mediatōni ſubdimur ⁊ ob
ſeruancie· Pauimentum eccleſie eſt fidei noſtre
fundamentū· In eccleſia vero ſpūali pauimentū
ſunt paupes xp̄i· ſcꝫ pauperes ſpū· qui ſe in omni
bus humiliant· quare ꝓpter humilitatē pauimen
to aſſimilantur· Rurſus pauimētum qd̄ pedibus
calcatur vulgꝰ eſt cuiꝰ laboribus eccleſia ſuſtē
tatur· Trabes que domum coniungunt ſunt princi
pes vel ſacerdotes ſeculi qui eccleſie muniunt v
nitatem· Hij verbo illi facto· Reclinatoria in ec
cleſia ſignant contemplatiuos in quibus deus ſine
offenſa quieſcit· qui quia ſummam diuinitatem et
eterne vite claritatē contemplantur auro compa-
rātur· Vn̄ in canticis dr̄· Reclinatorium fecit au
reum· Tigna in eccleſia ſunt predicatores qui
eam ſpūaliter ſubleuant· Laquearia ſiue celatu
re ſunt predicatores· quia eam ornāt vel roborāt·
de quibus quia per vicia non putreſcunt ſponſa
gloriatur in eiſdem cāticis dicens· Tigna domo
rum nr̄arum cedrina· laquearia cipreſſina· Deus
enim eccleſiam ſibi conſtruit viuis ex lapidibus ⁊
lignis imputribilibus iuxta illud· Ferculum ſibi
fecit rex ſalomon de lignis libani ideſt xp̄us de
ſanctis caſtitate cādidatis· De hoc aliter ſub ti·
de picturis dicetur· Cancellus· i· caput eccleſie
humilior reliquo corpe eccleſie· miſticat quanta
humilitas debeat eſſe in clero· ſeu prelato iuxta
illud· Quāto maior es humilia te in omībꝰ· Can
celli vero quibꝰ altare a choro diuidit̄· ſeparatōeꝫ
celeſtiū ſignificant a terrenis· De cancello ſeu
peribulo choꝝ circueūte dicetur ſub ti· de pictu
ris· Stallus ad ſedendū in choro deſignat ꝙ ali
quando corpꝰ recreandū eſt· quia quod caret al
terna requie durabile non eſt· Pulpitū in eccle
ſia eſt vita pfectoꝝ· et dr̄ quaſi publicum ſiue in
publico loco conſtitutū· Nempe legit̄· ij· paralip·
vij· ꝙ ſalomon fecit baſim eneaꝫ ponens eam in
medio baſilice ſtetitqꝫ ſuper eām· et extēdēs ma
num ſuam loquebat̄ populo dei· Eſdra quoqꝫ fe
cit gradum ligneū ad loquendū· in quo ſtās ſu-
per vniuerſū populū eminebat· Analogiū etiā
dicitur quia in ea verbum dei legitur ⁊ enūciat̄
logos eīm grece verbū vel ratio dr̄· ꝙ dicit̄ etiā
ambo ab ambiendo· quia intrantem ambit ⁊ cin
git· de quo in quarta parte ſub ti· de euangelio
dicetur Horologium per quod hore legūtur
ideſt colligūtur ſignificat diligentiā q̄m ſacerdo
tes in dicendis canonicis horis debito tempore
habere debent· iuxta illud· Septies in die laudeꝫ
dixi tibi· Tegule tecti que imbrem a domo re
pellunt· ſunt milites qui eccleſiam a paganis et
ab hoſtibꝰ ꝓtegunt· Coclee quaꝝ exemplar· a
templo ſumitur ſalomonis· ſunt vie muris inter
uolute latenter· per quas latenter archanā cog-
nitōnem ſinguloꝝ accipimꝰ· quas ſoli qui ad ce
leſtia gradiuntur agnoſcunt· De gradibus per
quos ad altare aſcendit̄ in ſe· ti· dicetur· Sacra-
rium ſiue locus in quo ſacra reponunt̄· ſiue in q̄
ſacerdos ſacras veſtes induit· vterū ſacratiſſi-
me marie ſignificat· in quo xp̄us ſe ſacra veſte
carnis induit· Sacerdos a loco in quo veſtes in
duit ad publicū ꝓcedit· qꝛ xp̄s ex vtero v̄ginis
procedens in mūdum venit· Locus epiſcopi i ec
cleſia altior eſt ſicut in ſecunda pte ſub tractatu
de epiſcopo dicetur· Prope altare etiaꝫ qd̄ xp̄m
ſignificat collocat̄ piſcina ſeu lauacrū ideſt xp̄i
miſericordia in qua manus lauātur· ad notandū
ꝙ in baptiſmo et penitencia· que per illam ſigni
ficantur a peccatoꝝ ſordibꝰ diluimur· qd̄ a vete
ri teſtamēto tractū eſt· Legitur eīm exo· xxx· et·
xl· ꝙ moyſes fecit labium eneū cum baſi ſua in
tabernaculo· in quo ſacerdos aaron et filij laua-
rentur· acceſſuri ad altare vt in eo offerrēt timi
ama· Lumē qd̄ in eccleſia accēditur xp̄m ſignifi-
cat iuxta illud Ego ſū lux mūdi· ⁊ iohānes Erat
lux vera· ⁊c̄· Vel luminaria eccleſie ſignificant
apoſtolos ⁊ ceteros doctores· quoꝝ doctrina ful
get eccleſia vt ſol ⁊ luna de quibꝰ dn̄s ait· Vos
eſtis lux mūdi· i· bonoꝝ operū exempla· Vn̄ ipſe
admonens eos ait· luceat lux veſtra coram ho-
minibꝰ· Illuminatur aūt eccleſia ex ꝑcepto dn̄i·
Vnde in exo· xxvij· legitur· Precipe filijs aaron
vt offerāt oleum de arboribꝰ oliuaꝝ puriſſimuꝫ
vt ardeat lucerna ſemꝑ in tabernaculo teſtimo-
nij· de quo in ſequen· parte de accolito dicetur·
Fecit qꝫ moyſes lucernas ſeptem que ſūt ſepteꝫ
dona ſpūſſancti· que in nocte huius ſeculi tene-
bras noſtre cecitatis illuſtrant· que ſuper cande
labra ponuntur quia requieuit ſupra xp̄m ſpūs
ſapientie ⁊ intellectꝰ· ſpiritus conſilij et fortitu
dinis· ſpiritus ſciencie ⁊ pietatis· ſpūs timoris
domini· quibus ꝑdicauit captiuis indulgentiam·
Pluralitas in eccleſia lucernaꝝ pluralitateꝫ de
ſignat in fidelibus graciaꝝ· Crux triumpha
lis in pleriſqꝫ locis in medio eccleſie ponit̄· ad-
notandum ꝙ de medio corde redemptorem nr̄m
diligimꝰ· qui iuxta ſalomonē corpꝰ ſuum media

caritate cõſtrauit ꝓpter filias hieruſalē. et vt
omnes ſignũ victorie vidẽtes dicant. Aue ſalꝰ
tocius ſeculi arboꝛ ſalutifera. ⁊ ne vnq̃ꝫ in nobis
dilectõ dei obliuioni tradatur. qui vt ſeruum re
dimeret tradidit vnicũ filiũ ſed crucifixũ imite
mur. Crux aũt i altũ dirigit̃ p qđ criſti victoꝛia
deſignat̃. de hoc dicet̃ vbi de eccl'ie ↄſecracõne
agetur. Quare eccleſia intus et non extra oꝛ
netur ſub tractatu de picturis dicet̃. Clauſtrũ
ſicut ait ſicardus epiſcopus cremoneñ. in mitra
li ex cubijs et cuſtodijs leuitaruꝫ circa taberna
culum. vel ab atrio ſacerdotũ. vel apoꝛticu ſalo
monis ad templũ ſũpſit exoꝛdiũ. Precepit eniꝫ
dominꝰ moyſi ne leuitas cum plebeia multitudi
ne numeraret. ſed conſtitueret eos ſup taberna
culum teſtimonij ad poꝛtandum et cuſtodiendũ
ꝓpter qđ domini p̄ceptũ dum diuina paguntur
miſteria clerici debẽt in eccleſia ſtare a laicis ſe
gregati. Unde ſtatuit cõcilium maguntiñ. ꝙ ps
illa que cancellis diuidit̃ ab altari pſallentibus
tantum pateat clericis. Poꝛro ſicut templũ tri
umphantem deſignat eccleſiã. ſic clauſtrũ cele=
ſtem ſignificat paradiſum. vbi erit coꝛ vnum et
idem in dei dilectione et voluntate. vbi oĩa com
muniter poſſidebunt̃ quia que quis minꝰ habe=
bit in ſe in al'o ſe gaudebit habere. qꝛ deus erit
omnia in omnibus. ideoqꝫ regulares vnanimit̃
in clauſtro degentes ad ſeruiciũ dei ſurgunt. et
ſecularia relinquẽtes in omnibus vitam cõem
ducunt. Diuerſitas aũt officinaꝝ et officioꝛuꝫ
in clauſtro. diuerſitas eſt manſionũ cum diuer=
ſitate pꝛemioꝝ in regno. Quoniã in domo pr̃is
mei manſiões multe ſunt dicit dominus. Moꝛa=
liter vero clauſtrũ eſt anime contemplacio. vbi
ſe recipit dum a turba cogitacionũ carnaliũ ſe
paratur et ſola celeſtia meditat̃. In hoc clauſtro
ſunt quatuoꝛ latera ſcꝫ contemptus ſui. contẽp
tus mundi. amoꝛ ꝓximi ⁊ amoꝛ dei. Unumqđqꝫ
aũt latus ſuum habet oꝛdineꝫ calumnaꝝ. Con
temptus ſui habet mentis humiliacionẽ. carnis
afflictionem humilem ſermoneꝫ et ſimilia. baſis
omniũ calumnaꝝ eſt paciencia. In hoc clauſtro
diuerſitas officinaꝝ eſt diuerſitas virtutũ. Ca
pitulum eſt coꝛdis ſecretum. de hoc tamẽ aliter
dicetur in quinta parte ſb ti. de pꝛima. Refecto
rium dilectio ſancte meditacionis. Cellarium
ſacra ſcriptura. Doꝛmitoꝛiũ munda conſciencia.
Oꝛatoꝛium vita immaculata. Oꝛtus arboꝛum ⁊
herbarum cõgeries virtutũ. Puteꝰ aquaꝝ vi=
uencium irrigacio donoꝛũ que hic ſitim mitigãt
et in futuro penitus extinguent. Sedes aũt
epiſcopales que iuxta beati petri diſpoſicionem
ſũt in ſingulis ciuitatibus antiquitus ↄſecrate
pꝛout dicetur in pꝛhemio ſecunde partis. non in
memoꝛiam confeſſoꝛũ ſed ad honoꝛem apoſto=
loꝛũ ac martirũ. et p̄cipue beate marie virginis
veterum deuocio dedicauit. Ceteꝝ ideo in ec
cleſia conuenimus vt ibi delictoꝝ veniã poſtu=
lemus. et diuinis laudibus inſiſtamus vt dicet̃
in pꝛohemio quinte ptis. Et vbi bonã ſiue mala
iudiciã audiamus et dei cognicionẽ diſcamus ⁊
accipiamus. ⁊ vt dominicũ coꝛpus ibi manduce
mus. In cõuentu eccleſie mulieres ⁊ viri ſeoꝛ
ſum habitant. quod ſcđm bedam a veteri conſue
tudine deriuatũ accepimus. ⁊ inde fuit ꝙ ioſeph
et maria puerum dereliquerũt quoniã alter illũ
quẽ ſecũ non cernebat cum altero eſſe putabat
Cauſa aũt diuiſiõis eſt qꝛ caro viri et mulieris
ſi ꝓpius acceſſerint ad libidineꝫ accẽdunt̃. Uñ
cum ibi peccata deflere debeamꝰ. neceſſe eſt tũc
eoꝛum fomenta et delectaciones carnales vita
ri. Maſculi aũt in auſtrali femie aũt in boꝛeali
ſiue in aquilonari parte manent. vt oſtendatur
firmioꝛes ſanctos debere ſtare contra maioꝛes
huius ſeculi tẽptacões. Infirmioꝛes vero con
tra minoꝛes ſeu foꝛcioꝛes firmioꝛẽqꝫ ſexum in
apcioꝛi loco cõſiſtere debere. quoniã ſcđꝫ apl'm
fidelis eſt deus qui non paciet̃ vos temptari ſup
id qđ poteſtis ſuſtinere. Ad hoc etiam pertinet
ꝙ iohannes vidit angelũ foꝛtem qui poſuit ſuũ
pedem dextrum ſup mare. nam et foꝛcioꝛa mem
bꝛa maioꝛibus periculis opponunt̃. Secundum
alios vero viri in pte anterioꝛi. mulieres in po=
ſterioꝛi manent. qꝛ vir caput eſt mulieris ideoqꝫ
dux eius. Mulier qꝫ velata capite eſſe debet in
eccl eſia. quia non eſt imago dei et qꝛ per illam
p̄uaricacio inchoata eſt ideoqꝫ in eccleſia ꝓpter
reuerenciã ſacerdotis qui eſt xp̄i vicarius coꝛaꝫ
eo tanq̃ꝫ coꝛam iudice ꝓpter reatus oꝛiginẽ ha
beat caput velatum non liberꝝ. nec ꝓpter eandeꝫ
reuerenciã habeat poteſtateꝫ loquendi in eccl'ia
coꝛam eo. Olim aũt viri et mulieres comam ſibi
nutrientes aſſiſtebãt in eccleſia nudo capite cri
nibus gloꝛiantes quod inhoneſtũ erat. Qua
lis locucio in eccleſia habenda ſit apl'us oſtẽdit
dicens. Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis et
ymnis et canticis ſpũalibus. Unde ibi a verbis
ſuperfluis abſtinendum eſt iuxta illud. Criſ. In
aulam regiã ingreſſurꝰ habitu et inceſſu te cõ
ponas. angeli eñ domini aſſunt quia domus dei
plena eſt virtutibus incoꝛpoꝛeis. et dominꝰ ad
moyſen et angelus ad ioſue. Solue calciamẽtũ
de pedibus tuis locus enim in quo ſtas ſanctꝰ
eſt. Ultimo notandũ eſt ꝙ eccleſia cõſecrata
reos ſanguinis ad ſe confugientes. qui in illa
vel contra illã non deliquerunt defendit. ne vi=
tam pdant. aut membꝛa. Unde legit̃ ꝙ ioab in
tabernaculũ fugit. et coꝛnu altaris apprehẽdit
Item etiam priuilegium habet non cõſecrata in
qua diuina officia celebꝛant̃. Coꝛpus auteꝫ xp̄i
a talibus ſumptum eos non defendit. nec confu
gientes ad illud tum quia hoc priuilegiũ eccl'ie
conceſſum eſt quare non eſt ad alia ꝓtrahendũ
tum quia illud eſt cibus anime non coꝛpis. Unđ
animã liberat et nõ coꝛpꝰ. Eccleſie tribꝰ de cau
ſis de loco ad locum mutant̃. Pꝛimo per neceſſi
tatem pſecutoꝛum. Secundo ꝓpter difficultatẽ
locoꝛũ puta ꝓpter aeris intemperiẽ. Tercõ
cum maloꝝ ſocietate grauant̃. ⁊ tunc cum con
ſilio pape vel ep̄i. Quare eccleſiam ingrediens

ſigno crucis ſe munit dicet̃ in ꝓhemio·v·partis
De altari·

Altare in eccleſia ꝓpter tria fit prout
ſub eius dedicacione dicet̃· Sciendum
autem eſt ꝙ noe primus deinde iſaac
abraham et iacob altaria edificaſſe le
guntur que non aliud quã lapides erecti intelli
gunt̃· ſup̃ quos ſacrificia mactabãt que ſuppo-
ſito igne cremabant·moyſes etiã fecit altare de
lignis ſethim·et idẽ altare timiamatis qḋ veſti-
uit auro puriſſimo ꝓut legit̃ exo·xxv·et·xxvij·
et·xxix·c·vbi etiam ponit̃ forma ipſius altaris·
Salomõ quoqꝫ ſic legit̃·iij·regum·vij·c·prope
finem altare aureum fabricauit· Ab his quidẽ
antiquis·patrib9 altaria modernoꝝ ſumpſerũt
exordium que i cornua quatuor erigunt̃ quoꝝ
quedam vnius ſunt lapidis quedã ex pluribus
componunt̃·nempe altaria et are aliquociẽs in-
differenter inueniunt̃ intereſt tamẽ·Naꝫ altare
quaſi alta res vł alta ara dicit̃ i quo ſacerdotes
incenſum adolebant· Ara quaſi area ideſt plana
vel ab ardore dicit̃ quia in ea ſacrificia ardebãt
Et nota ꝙ multipliciter in ſcripturis legit̃ alta
re vicꝫ ſuperius et inferius interius et exterius
quoꝝ etiã quodlibet duplex eſt· Altare ſuperi-
us eſt deus trinitas de quo legit̃·non aſcendes
ad altare meũ ꝑ gradus·eſt et altare ſuperius
eccleſia triumphans·de quo dicitur·tunc impo-
nes ſuper altare tuũ vitulos· Altare aũt inferi9
eſt eccleſia militãs de quo legit̃· Si altare lapi-
deũ feceris mihi nõ edificabis illud de ſectis la
pidibus· Eſt etiam altare inferius mẽſa templi
de qua dicit̃· Conſtituite diem ſolemnẽ in cõden
ſis vſqꝫ ad cornu altaris·Et in·iij·regũ·vij·dicit̃
Quod ſalomon fecit altare aureum· Altare vͦo
interius eſt cor mundũ ꝓut infra dicet̃· Eſt etiã
altare interius fides incarnaciõis de qua iubet̃
in exodo· Altare de terra facietis mihi· Altare
aũt exterius eſt ara crucis hoc eſt altare holo-
cauſti ſup̃ quo cremabat̃ ſacrificiũ veſpertinuꝫ
Vnde in canone miſſe dicit̃· Iube hec in ſublime
altare tuum ꝑferri ⁊c̃· Altare etiã exterius ſũt
eccleſiaſtica ſacrãmẽta de quibus dictũ eſt· Alta
ria tua dñe virtutũ ⁊c̃·Rurſus altare eſt morti
ficacio noſtra ſeu cor noſtruꝫ in quo carnales
motus feruore ſpũſãcti ꝯſumunt̃· Scḋo altare
etiã ſignificat eccleſiam ſpũalēꝫ· Quatuor eius
cornua ſignificant quatuor mũdi plagas ꝑ quas
eccleſia dilatat̃· Tercĩo ſignificat xp̃m ſine quo
munus nullũ acceptabile pr̃i offert̃· Vnḋ eccle
ſia ſolet oraciones ad patrẽ dirigere per criſtuꝫ
Quarto ſignificat corpus domini ꝓut in parte
vj·ſub ti·de paraſceue dicet̃· Quinto ſignificat
menſã in qua cum diſcipulis conuiuatus ẽ xp̃s
Sane legit̃ in exo·ꝙ in arca teſtamẽti·ſiue te
ſtimonij repoſita eſt teſtificacio ideſt tabule in
quib9 ſcriptũ erat teſtimoniũ· Licet etiã quedã
repoſita ibi teſtionia dici poſſint et hoc in teſtifi-
cacioneꝫ ꝙ legem naturalẽ in cordibus ſcriptã
ſuſcitauerat in ſcriptis· Repoſita eſt etiã ibi vrna

aureã plena mãnna in teſtificacionem ꝙ panem
dediſſet filijs iſrahel de celo· Et virga aaron in
teſtimoniũ ꝙ om̃is poteſtas a deo ẽ· Et deutro-
nomiũ in teſtimoniũ pacti·quo dixerant omnia
que dixerit nobis dñs faciem9· Et ob hoc dicta
eſt arca teſtimonij vel teſtamenti·ob hoc etiã di
ctuꝫ eſt tabernaculũ teſtimonij· Sup̃ arcã vero
factum eſt ꝓpiciatoriũ·de quo dicet̃ i ꝓhemio
quarte partis in cuius rei imitacionẽ in quibuſ
dam eccleſijs ſup̃ altare collocat̃ arca ſeu taber
naculum in quo corpus dñi et reliquie reponũt̃
Precepit etiã dñs fieri cãdelabꝝ ductile ex au
ro puriſſimo·exo·xxv·legit̃ in·iij· reg̃·c·viij·ꝙ
in arca federis aliud nõ eſt niſi due tabule lapi-
dee quas poſuerat in ea moyſes in oreb q̃ndo pe
pigit fedus dominus cũ filijs iſrahel cum egre
derentur de terra egipti· Et nota ꝙ tempe ſilue
ſtri pape conſtantinus impator conſtruxit baſi
licam·latranẽ·in qua poſuit arcam teſtamenti
quã tytus imperator apportauerat de hieruſalẽ
et candelabrũ aureũ cuꝫ·vij infuſorijs lucernis
in qua archa ſunt hec·annuli et vectes auree·
tabule teſtimonij·virga aaron mã·na·panes or-
deacei·vrna aurea·veſtis inconſutilis·et arundo
et veſtimẽtũ ſancti iohãnis baptiſte et forpices
cuꝫ quibus tonſus fuit ſanctus iohãnes euãge
liſta· Sane homo ſi habet altare menſam cande-
labrum et arcaꝫ templũ dei eſt· Oportꝫ ſiquideꝫ
eum altare habere vbi recte offerat et recte di-
uidat· Altare eſt cor noſtꝝ in quo debemus of
ferre· Vñ in exo·ꝑcepit domin9 i altari offeres
holocauſta quia de corde debẽt procedere opera
igne caritatis accenſa Holocauſta dicuntur
ab olon ꝙ eſt totũ et tauma ꝙ eſt incendiũ vnḋ
holocauſta q̃ſi ex toto incenſa· In iſto igit̃ alta-
ri debem9 recte offerre·⁊ recte diuidere· Recte
offerimus q̃ndo bonũ qḋ cogitamus ad ꝑfectio
nẽ ꝑducimus ſꝫ nõ recte diuidimus ſi nõ diſcre-
te illud facimus· qr ſepe putat hõ facere bonũ
et facit malũ· et ſepe ex vna parte facit bonũ et
ex alia pte facit malum·et ita ip̃e edificat ⁊ ip̃e
deſtruit·ſed tunc recte diuidimus·quãdo bonuꝫ
qḋ facimus non nobis ſed ſoli deo attribuimus
Menſam quoqꝫ oportet hominẽ habere vt inde
panes verbi dei ſumat· Per menſam ſacrã ſcrip
turam intelligimus de qua p̃s· Paraſti in ꝯſpe
ctu meo menſam aduerſos eos qui tribulant me
·i·dediſti mihi ſcripturã cõtra tẽptaciõeꝫ demo-
niacam oportet vt hãc habeamus ideſt mẽte re
ponamus vt panes verbi dei inde ſumam9· Pro
defectu huius panis dicit hieremias· Paruuli
pecierunt panem et non erat qui frãgeret eĩs·
Oportet etiam eũ habere candelabrum vt bonis
operibus luceat Candelabꝝ exterius illuminãs
eſt opus bonũ quod alios per bonum exempluꝫ
accendit de quo dicit̃· Nemo accendit lucernaꝫ
et ponit eã ſub modio ſed ſup̃ candelabrũ· lucer
na iuxta verbũ dñi eſt bona intencio quia xp̃us
dic̃· Lucerna ẽ oculus tuus·oculus vero ẽ inten
cio· Non debem9 ergo ponere lucernã ſḃ modio

ſed ſupra cādelabꝝ quoniam ſi habemus bonaꝫ
intencionē non debemus abſcondere·ſed bonum
opus alijs in lumē ⁊ exemplū maifeſtare·Opor
tet eum eciā habere arcaꝫ que dicitˀ ab arcendo·
Arca ergo pōt dici diſciplīa vel regularis vita
per quā crimina a nobis arcentˀ·In arca aūt ſunt
virga tabula ⁊ manna quia in regulari vita de-
bet eſſe virga correctionis vt caro caſtigetˀ et
tabula dilectōnis vt deꝰ diligatˀ·In tabulis em̄
ſcripta ſunt mandata que ꝑtinent ad dilectiōeꝫ
dei·Debet etiā ibi eſſe manna diuine ꝑlibacōnis
vt q̄ꝫ ſuauis eſt deus guſtemus ⁊ videamus qꝛ
bona ē negociacō eiꝰ iuxta illd̄ ꝓuer·de mlꝛieri
forti guſtauit et vidit qꝛ bona eſt·Vt ergo tē-
plum dei ſimus habeamꝰ in nobis altare ꝑ obla
cionē ne appareamus in ꝯſpectu dei vacui iuxta
illud ecc̄·Non apparebis in cōſpectu dei tui va-
cuus·Menſam ꝑ refectiōeꝫ ne deficiamus i via
quaſi ieiuni iuxta illud euāgelij·Si dimiſerimꝰ
eos ieiunos deficient in via·Candelabꝝ ꝑ bonaꝫ
opacionem ne ſimus ocioſi iuxta ecc̄·Multā ma
liciaꝫ docuit ocioſitas·Arcā ne ſimus quaſi filij
belial·i·abſqꝫ iugo indiſciplinati·diſciplina em̄
neceſſaria eſt iuxta illud p̄s·Apphēdite diſcipli
nam ne q̄ndo iraſcatur dominus ⁊c̄·De hijs etiā
et alijs ornamētis in ſe·ti·dicetˀ·Hoc altare ille
edificat qui cor ſuū vera hūilitate alijſqꝫ virtuti
bus exornat·Vn̄ greḡ·Qui virtutes ſine hūi
litate ꝯgregat q̄ſi qui puluerē in vētum portat
Per altare em̄ cor nr̄m intelligitˀ vt dicetur vbi
de altaris dedicacōne agetˀ qd̄ eſt in medio cor-
poris ſic altare i medio eccleſie·De altari iubetˀ
a domino in leuitico·Ignis in altari meo ſemꝑ
ardebit·Ignis eſt caritas altare eſt cor mūdū·
Ignis ſēꝑ ardebit in altari qꝛ caritas ſemꝑ fer-
uebit in corde nr̄o·Vn̄ ſalomō in canticis canti
corum·Aque multe nō poſſunt extinguere cari-
tatē·Quia em̄ ſemꝑ ardet extingui nō pōt·Vos
ergo ſcd̄m pphetam agite diē leticie in ꝯfrequē
tacōnibus ſeu in ꝯdenſis vſqꝫ ad cornu altaris
quia reliquie cogitacionū diem feſtū agent tibi
De hac apl̄us·Excellenciorē viam nobis demō
ſtrat excellenciorē viaꝫ dixit caritatē quia ipſa
eſt ſuꝑ omnes virtutes et quicūqꝫ ipſam habet
oīes virtutes habet·hoc eſt verbū abbꝛeuiatū
qd̄ facit dominꝰ ſuꝑ terrā qꝛ adeo breue eſt vt
dicatˀ habē caritatē et fac quicquid vis·Ex his
nāqꝫ duobus mādatis tota lex pēdet et pphete
Vel ꝑ altare vniuſcuiuſqꝫ animaꝫ intelligimus
que edificatˀ dn̄o ex lapidibꝰ viuis·ſcꝫ ex virtu
tibꝰ varijs et diuerſis Porro lintheamia alba
quibus operitˀ altare carnē ſiue humanitatē ſal
uatoris deſignant·que multo labore candidantˀ
ſic ⁊ xp̄i caro ex terra·i·ex maria orta ꝑ multas
tribulaciones ad reſurrectionē ⁊ candorē et le-
ticiā immortalitatis ꝑuenit·de qua filius exul-
tat patri dicens·Concidiſti ſaccū meū et circū
dediſti me leticia·Altare ergo veſtiri eſt animā
immortali et incorruptibili corpe coniungi·
Rurſus albis et mūdis pānis operitˀ altare q̄ndo
cor mundū bonis operibꝰ adornatˀ·Vnde apoc̄·
iij·Veſtimentis albis induaris·ne appareat ꝯfuſio
nuditatis tue·Et ſalomon·Omni tempe veſtimē
ta tua ſint candida idest opa tua ſint mūda·Mo
dicū em̄ ꝓdeſſet accedēti ad altare ſumā digni-
tatem et infimā vitaꝫ habere·Vnde bern̄·Mon-
ſtruoſa res eſt ſedes prima et vita ꝑma gradus
ſūmus et ſtatꝰ infimꝰ igens autoritas et animi
inſtabilitas ⁊c̄· Pallia vero ſerica ſuꝑ altare
poſita ſunt diuerſoꝝ virtutū ornamēta quibus
anima decorata eſt·veſtimēta quoqꝫ quibꝰ alta
re ornatˀ ſunt ſancti vt dicetˀ in ti·ſequēti·Princi
pium et finis miſſe fiūt in dextra parte altaris
medium in ſiniſtra ꝓut in quarta parte ſub ti·de
mutacōe ſac̄·dicetˀ·Antiqui altaria ꝯcaua facie
bant·ppter illud qd̄ legitˀ ezech·xliij·ꝙ in alta
ri dei foſſa erat et hoc ſcd̄ꝫ greḡ·ne holocauſta
ſuppoſita ventus diſpergeret·Dicitˀ etiā i·c·xl·ꝙ
altare erat reflexū intrinſecus ꝑ circuitū· Ce-
terū gradus quibus ad altare aſcenditˀ ſpūalitˀ
demōſtrāt apl̄os et martires criſti quoſqꝫ eius
amore ſāguinē ſuum fuderūt·ſponſa in canticis
amoris vocat aſcenſū purpureū·Exprimuntˀ qꝫ
quindecim virtutes que ſignantˀ per quindecim
gradus quibus aſcendebatˀ in templū ſalomōis
et a ppheta in quindeci pſalmis continue demon
ſtratur quas beatus vir aſcenſiōes in corde ſuo
diſpoſuit·Hanc ſcalaꝫ vidit iacob ſumitas eius
celos tangebat·Per hos gradꝰ competentˀ vir
tutū gradus intelligūtur quibꝰ ad altare idest
xp̄m aſcenditˀ iuxta illud p̄s·Et ambulabunt de
virtute in virtutē·Et iob ꝑ ſingulos gradꝰ me
os ꝓnūciabo illū·Legitur tn̄ in exo·Non aſcen
des ad altare meū ꝑ gradus ne reueletur turpi
tudo tua·nōdū em̄ forte antiqui femoralibꝰ vte
bantˀ·In ꝯcilio toletano cauetˀ·ꝙ clericus cauſa
doloris in alteriꝰ ꝑnicē altare vel ymaginē ex
uens veſtibꝰ vl̄ lugubri veſte vel ſpinis ꝯcin-
gēs vel eccl̄ie lumiaria extinguēs deponatˀ·Sed
ſi eccl̄ia ſua a iure ſuo indebite ſpoliatˀ hoc cauſa
memorie facere vl̄ ſcd̄m quoſdā quemadmodū
et in die paſſionis dn̄i in ſignum triſticie altaria
denudantur·qd̄ tn̄ hodie ꝯſilium reprobat lug-
dunen̄·Deniqꝫ altaria que ꝑ ſomnia ⁊ ꝑ inanes
quaſi reuelaciones hominū ꝯſtruūtur reproban
tur omnino·

De picturis cortinis et ornamētis eccleſie·

Picture et ornamenta in eccleſia ſunt
laicoꝝ lectio et ſcripture·Vn̄ greḡ·
Aliud eſt picturaꝫ adorare·aliud per
picture hiſtoriaꝫ quid ſit adorandum
addiſcere·Nam qd̄ legentibus hoc ideotis cer-
nētibus ꝑſtat pictura quiā in ipſa ignorātes vi
dent quid ſequi debeant·in ipa legūt qui literas
neſciūt·Sane caldei ignē adorāt et cogūt alios
idē facere alia ydola detrahentes·Pagani vero
ymagines ſeu yconias et ydola adorant qd̄ ſar
raceni nō faciūt qui ymagines nec hr̄e nec vide
re volūt·moti ex verbo illo·Nō facies tibi oīeꝫ
ſimilitudinem eoꝝ que in celo vl̄ in terra vel in

aquis vel ſub terra ſūt exo·xx·c· Et ex alijs au
ctoritatibus que ſtatim ſequunẽ nos valde ſup
hoc increpātes ſed nos illas non adoramus nec
deos appellamus nec ſpem ſalutis in eos poni=
mus quia hoc eſſet ydolatrare·ſʒ ad memoriā ⁊
recordacionē rez̄ oli geſtaz̄ eos veneramꝰ·Vñ
v̄ſus·Effigiē xp̄i qui trāſis pnus honora·Non
tñ effigiem ſed qđ deſignat adora·Eſſe deū rōne
caret cui cōtulit eſſe· Materialis lapis effigia
le manus Nec deus eſt nec homo p̄ns q̄ʒ cernis
ymago·Sed deus eſt et hō quem ſacra figurat
ymago·Greci etiā vtunẽ ymaginibꝰ pingētes
illas vt dicitur ſolū ab vmbilico ſup̄ et nō inferi
us·vt om̄is ſtulte cogitacōis occaſio tollerat̃·
nullaʒ etiā faciunt ſculptilē ymaginē pro eo ꝙ
legiẽ exo·xx·c·Nō facies ſculptile neqʒ ymagi
nes·Itē leuitic·xxvj·c·Non facietis ydolū neqʒ
ſculptile·Itē deutro·iiij·c·Ne forte decepti faci
atis vobis ſculptam ſimilitudinē·Itē non facie
tis vob̄ deos aureos et argenteos·Itē pp̄heta
Simulacra genciū argentū ⁊ auz̄ opa manuū
hominū Similes illis fiāt qui faciūt ea et om̄es
qui cōfidūt in eis·Confundanẽ om̄es qui adorāt
ſculptī et qui glo·in ſim·ſuis· Item moyſes ait
ꝑpulo iſrahel·Ne forte errore decepꝰ adores
ea que creauit dn̄s deus tuus· Hinc etiā eſt ꝙ
ſerpētē eneū quē moyſes erexerat ezechias rex
confregit q2 pp̄l'us illi contra legis preceptum
thuris adolebat incenſū·Ex his aūt ⁊ ſimilibus
auctoritatibus reprobaẽ nimius ymaginū vſꝰ
Ait eñ apl'us·j·corinth·Scimus eñ quia ydo=
lū nihil eſt in mūdo et nullus deus niſi vnꝰ·Poſ
ſent nanqʒ ſimplices et infirmi p nimiū et indi=
ſcretū vſū facile ad ydolatriā trahi·Vnđ ſapie·
xiiij·c·Idolis nacionum non erit reſpectus qm̄
creature dei in odiū facte ſunt et in temtacionē
anime hominū et in muſcipulam pedibꝰ inſipien
cium· Moderate vero vti picturis ad repſen
tandū mala vitanda et bona imitanda rephenſi=
bile nō eſt·Vñ dn̄s ad ezech· Ingredere ⁊ vide
abhominatōes peſſimas quas iſti faciūt ⁊ ingreſ
ſus vidit omnē ſimilitudinē reptiliū et animaliū
⁊ abhominacōeʒ ⁊ vniuerſa ydola domꝰ iſrahel
depicta in pariete Nempe greḡ·hoc exponēs in
paſtorali li·ij·c·xx·dicit·Dum exteriorum rerū
intrinſecus ſpēs attrahunẽ quaſi in corde depin
giẽ quicquid fictis ymaginibus deliberādo co
gitaẽ Rurſus ad eundē ezechielē dicitur·Sume
tibi laterē ⁊ pones eū corā te et deſcribes in eo
ciuitatē hieruſalē· ei aūt qđ dictū eſt ꝙ ymagi
nes ſūt laicoz̄ lr̄e obuiat illud euāgelij·Habēt
inquit moyſē ⁊ pp̄hetas audiāt eos·de hoc etiā
diceẽ in quarta pte ſub quarta pticula canonis
ſup verbo ſeruitutis cōcilium agathēſ·inhibet
picturas in eccleſijs fieri ⁊ quod coliẽ ⁊ adoraẽ
in parietibus depingi·Sed greḡ·dicit ꝙ pictu
ras nō licet frāgere ea occaſione ꝙ adorari non
debent pictura nanqʒ plus videẽ mouere animū
q̄m ſcriptura·per picturā quidē res geſta ante
oculos poniẽ quaſi in p̄nti geri videatur·ſed per
ſcripturam rēs geſtā quaſi p auditū qui minus
animū mouet ad memoriā reuocaẽ·Hinc etiā ē
ꝙ in eccleſia non tantam reuerenciā exhibemus
libris quantā ymaginibus ⁊ picturis·Pictura
rū ſiue ymaginū alie ſunt ſupra eccleſiā vt gal=
lus vel aquila·alie extra eccl'iā ſcʒ foris i frōte
eccl'ie·vt bos et leo·alie intra vt icone ſtatue et
diuerſa picturaz̄ et ſculpturaz̄ genera que vel
in veſtibus vel in parietibus vel in viteralibus
depigunẽ·de quoz̄ aliquibꝰ ſb̄ tractatu de ec=
cleſia dictū ē·qđ a tabnaculo moyſi tēplo ſalo
mōis ſcriptū ē·Sculpſit eñ moyſes ſculpſit pin
xit et ſalomon et parietes celaturis et picturis
ornauit·Sciendum aūt eſt ꝙ ſaluatoris ymago
tribus modis ouenienciꝰ in eccleſia depingiẽ
vicʒ aut vt reſidens in throno aut vt pēdens in
crucis patibulo·aut vt reſidens i mr̄is gremio
q2 vero Io·bap· xp̄m digito demōſtrauit dicēs
Ecce agnus dei·ideo quidam depingebāt criſtū
ſub ſpecie agni·q2 tamē vmbra tranſiuit et xp̄s
verus eſt homo dicit adrianus papa·ꝙ ipſuʒ in
forma humana depigere debemus·Nō eñ agnꝰ
dei in cruce principaliter depingi debet·ſed hoīe
depicto nō obeſt agnū in parte inferiori vel po
ſteriori depingi cum ip̄e ſit verus agnꝰ qui tol=
lit peccata mūdi Hiis q̄dē ⁊ alijs diuerſis modis
ſaluatoris ymago depingiẽ ꝑpter diuerſas ſig=
nificatiōes·Nam picta in p̄ſepio rememorat na
tiuitatē·depicta i matris gremio puerilē etateʒ
picta vel ſculpta in cruce paſſionē ⁊ quādoqʒ in
ip̄a ſol et luna quaſi eclipſim paciēcia depingun
tur·Depicta vero in ſcalaz̄ aſcenſu aſcenſioneʒ
picta vt reſidens in throno ſeu i ſolio excelſo p̄=
ſentē indicat potēciā et poteſtatē·quaſi diceret
data eſt ei om̄is poteſtas i celo et in terra iuxta
illud·Vidi dn̄m ſedentē·ſ·ſ·e·⁊c̄·ideſt dei filium
ſup angelos regnantē iuxta illđ·Qui ſedes ſup
cherubin·quādoqʒ verō depingiẽ ſicut viderunt
eum moyſes et aaron nadab et abiu ſcʒ ſup mō=
tem et ſub pedibus eius quaſi opus ſap hiricuʒ
et quaſi celum ſerenū·Et quoniā ſicut ait lucas
Tunc videbunt filiū hominis venientē in nube
cum potencia magna et maieſtate·ideo ei quan=
doqʒ circumcircapingūẽ angeli qui ei ſemp ſer
uiunt et aſſiſtūt·⁊ depingunẽ cum vi·alis ſecū=
dum iſa·di· Seraphim ſtabānt iuxta illud ſex ale
vni et ſex ale alteri·duabus velabāt faciē eius
duabus pedes et duabus volabant·Depingūẽ
etiā angeli tanq̄ʒ in etate iuuenili florentes nū
quam eñ ſeneſcūt·quandoqʒ etiā circumpingiẽ
archangelus michahel draconē ſuppeditās iux
ta illud·Io·factū eſt preliū in celō·michahel cū
dracōe pugnabat que pugna eſt diſſidiū ange
loz̄ confirmacio bonoz̄·et ruina maloz̄·aut in
preſēti eccleſia pſecucio fideliū·Quandoqʒ etiā
circumpingūẽ vigintiquatuor ſeniores ſcđum
viſionem ip̄ius iohannis i veſtibus albis et co=
ronis aureis·p quos ſignificanẽ veteris ⁊ noue
legis doctores·qui ſunt duodecim ꝑpter fidem
trinitatis quam annūciant per quatuor climata

mũdi·aũt vi gĩtiquatuoꝛ ꝓpter opera ẽt obſer
uanciã euangeliſtarũ·ſi lampades addũt̃ dona
ſpiritusſancti repñſentantur ſi mare vitreũ baptiſ
mus innuitur· Quãdoq̃ʒ eciaʒ circumpingũt̃
quatuoꝛ aĩa ſecũdum viſiõem ezechielis ꝛ eiuſ
dem iohãnis·Facies hoĩs et facies leõis a dex
tris·Facies bouis a ſiniſtris·et facies aquile de
ſuper ipſos quatuoꝛ·hij ſunt quatuoꝛ euãgeliſte
Vnde pinguntur cum libris in pedibus·quia que
verbis et ſcriptura docuerũt mente et ope com
pleuerũt·Matheus figuram ſoꝛtitur humanã
Marcus figuram tenet leonis·hij ponũt̃ a dex
tris·quia criſti natiuitas et reſurrectio fuerunt
omniũ leticia generalis·Vnde in pſ̃·Et ad ma=
tutinum leticia·Lucas vero vitulus eſt·eo ꝙ a
zacharia ſacerdote inchoauit et xp̃i paſſioneʒ et
hoſtiaʒ ſpẽalius pertractauit·Vitulus quod eſt
animal ſacerdotum ſacrificijs aptum·oparatur
etiã vitulo ꝓpter duo coꝛnua quaſi duo otinẽs
teſtam̃ta ꝛ ꝓpter quatuoꝛ pedũ vngulas qua
ſi quatuoꝛ euangeliſtarũ ſentencias·Per hunc
quoq̃ʒ figuratur xp̃s qui fuit ꝓ nobis vitulus
imolatus ideoq̃ʒ ponit̃ a ſiniſtris·quia moꝛs xp̃i
fuit apl'is triſtis·De hoc et qualit̃ beatus mar=
cus pingi debet in ſeptima pte ſub ti·de euange
liſtis dicet̃·Johannes aũt figurã habet aquile
quoniaʒ ad excelſa peruolans ait·In pꝛincipio
erat verbũ·Hic quoq̃ʒ ſignificat xp̃m cuius iu
uentus vt aquila renouat̃·quia reſurgẽs a moꝛ
tuis floꝛet et in celũ ingreditur·hic tamen non
iuxta ſed ſupeſſe depingit̃·quoniam aſcenſioneʒ
deſignat et verbũ apud eum ꝓnunciat·Sed cũ
qõlibet ipoꝝ animaliuʒ haberet quatuoꝛ facies
et quatuoꝛ alas qualiter poſſent depingi dicet̃
in ſeptima pte ſub ti·de euangeliſtis vbi eciam
lacius de hoc agetur·Quandoq̃ʒ etiaʒ circũpin=
guntur vel pocius ſubpingũt̃ apoſtoli qui fue
runt teſtes eius verbo et opere vſq̃ʒ ad vltimum
terre·et pinguntur criniti q̃ſi nazarei ideſt ſan=
cti·Lex eñ fuit nazareoꝝ vt a tpe ſue ſeparatõ
nis a cõi vita hominũ nouacula nõ tranſiret ſup
caput eoꝛũ·pinguntur etiam q̃ndoq̃ʒ ſub foꝛma
duodecim ouiuʒ quia bidentes occiſi ſunt ꝓpter
dominũ ſed et duodecim tribus iſrahel·Quãdo
q̃ʒ ſub foꝛma duodecim ouiũ depinguntur·Nũq̃ʒ
tamẽ plures vel paucioꝛes oues circa ſedẽ maie
ſtatis pingũt̃·ſed tunc aliud figurat̃ iuxta illd
mathei·xxv·c·in fine·cum venerit fili9 hominis
in maieſtate ſua tunc ſedebit ſup ſedem maieſta
tis ſue ſtatuẽs oues a dextris et edos a ſiniſtris
Qualiter bartholome9 et andreas apl'i depingi
debent in ſeptima pte ſub eoꝛũ feſtis dicetur·Et
aduerte quia patriarche et ꝓphete pingũt̃ cũ
rotulis in manibus·Quidã vero apl'i cũ libris
riatur ſcire et noſſe me·Vel per ipſū lapidē xp̄s
intelligiṫ· de quo dicit apl̕us·Ip̄o ſūmo angu=
lari lapide xp̄o iheſu· Per lapidē quidem xp̄i hu
manitas deſignaṫ· de quo in dan̄· legiṫ ꝙ lapis
abſciſus eſt de mōte ſine manib9· qr xp̄s de bea=
ta virgine que ꝓpter eminenciā virtutū mōs di
ciṫ·ſine virili ſemine mirabiliter eſt natus et fa
ctus in mōtem magnū totū repleuit orbem ter
rarū de quo etiaȝ ꝑ p̄s·dicitur·Lapidem quem
reprobauerūt edificantes hic fact9 eſt in caput
anguli·quoniā xp̄s quē edificātes·ideſt iudei re
probauerunt dicētes·Nolumus hunc regnare
ſuper nos·hic fact9 eſt in caput anguli·quia ſicͭ
ait apl̕us·Exultauit illū deus et dedit illi nomē
⁊c̄·vel ꝑ lapidē caritas intelligiṫ vt p̄miſſuȝ eſt
qui debet eſſe magnus ⁊ latus· quoniā latū eſt
mandatū caritatis quod etiā ad inimicos exten
ditur iuxta p̄ceptum domini·Diligite inquit ini
micos veſtros·Nō ergo vnguntṫ altaria niſi la
pidea quia xp̄s per altare ſignificatus eſt lapis
excreſcens in montem vt dictum eſt·ipe ē mōs
pinguis oleo leticie pre ↄſortibus vnct9·Verū
tamē in exo·legiṫ·dominū p̄cepiſſe fieri altaria
de lignis ſethim que ſunt imputribilia et altare
lateraȝ ligneū eſt·Salomon quoqȝ fecit altare
aureū ꝓut legiṫ tercio regū·vij·c· ſȝ illa facta
ſunt in figura·Et in comitatu ꝓuincie in caſtro
ſancte marie de mari eſt altare terreum qd̄ ibi
fecerunt maria magdalena et martha ⁊ maria
iacobi et maria ſalome·Poſt hoc aſperſo altari
et cum aqua baptizato·reſtat vt oleo ⁊ criſma=
te liniaṫ·Ep̄s em̄ ſuperinfundit oleum et criſma
et cantaṫ·Erexit iacob lapidem in titulū ſūdens
oleū deſuꝑ·Illa em̄ eccleſia fuit titulus aliarum
qr de ſyon exiuit lex ⁊ verbū dn̄i de iheruſaleȝ·
Faciēs primo ſuꝑ illū quinqȝ cruces ex oleo īfir
morū ſcd̄m ordineȝ romanū Secundū quaſdam
vero alias eccleſias de vtroqȝ oleo vnā in me=
dio ⁊ q̄tuor in cornubus·poſtea eodē modo tori
dem ex criſmate·Sane ꝑ oleū ſpūſſancti gracia
intelligiṫ· de quo dicit yſaias ꝓpheta·Cōputre
ſcet iugum a facie olei·quia ſicut epiſcop9 oleū

infundit ſuper altare· ita criſtus qui eſt ſumm9
pontifex effundit graciã ſup altare noſtꝝ· quia
ipſe eſt diſtributoꝛ omniũ graciaꝝ per ſpiritu3
ſanctum ſicut dicit apl'us· Alij daẽ ſermo ſapie
Alij ſermo ſciencie· Alij fides· Alij gr̃a ſanita
tum ⁊c̃· Et ſicut ꝑ oleum ep̃us purificat menſã
altaris· ita et ſp̃uſſanctus purificat coꝛ noſtrũ
ab omnibus vicijs ⁊ peccatis· Xp̃s quoq3 oleo
fuit vnctus· nõ quidem viſibili· ſ3 inuiſibili ideſt
gracia ſpiritusſancti· Vnde dauid· Vnxit te de9
deus tu9 oleo leticie ⁊c̃· ideſt pluſq̃3 om̃es ſan=
ctos qui fuerũt ꝑticipes gracie eius ideſt criſti
Vnde vnctõ exp̃ſſus ↄuenit xp̃o quã alijs· quia
pꝛe omnibus alijs vnxit eum ad habendũ pleni
tudinẽ honoꝛũ· ideoq3 interpꝛetaẽ vnctus · Vn
ctio quoq3 ex oleo miſericoꝛdiã ſignificat· iux=
ta illud euãgelij· Vnge caput tuũ oleo· ⁊ faci
em tuã laua q2 ſicut oleũ in liquoꝛib9· ita ⁊ mi=
ſericoꝛdia in bonis operibus ſupioꝛ eſt· quecũq3
eñ liquoꝛe3 oleo ſupinfundas illud ſemp deſup
natat· De miſericordia vero ſcriptũ eſt· Suauis
dominus vniuerſis ⁊ mi· e· ſ· o· o· e ⁊ miſericoꝛ=
dia ſuperexaltat iudiciũ · Hoc igiẽ oleo limaẽ al
tari coꝛdis nr̃i· vt ſemper miſericoꝛdie memoꝛes
aſperſionis aq̃ ⁊ generatõnis baptiſmi effectũ
non amittamus· Quinq3 cruces de oleo ſignifi
cãt q̃ memoꝛiaꝫ quiq3 paſſionũ xp̃i quas ꝑ nob
in cruce ſuſtinuit ſemp habere debem9 Ipe nãq3
quinq3 plagas ſuſtinuit· ſc3 in manibus· in pedi
bus ⁊ in latere· Deſignant etiã quiq3 ↄpaſſiões
miſericordie que nobis ſunt neceſſarie· Neceſſe
eñ eſt vt homo miſeriatur xp̃o paſſioni eius cõ
paciendo· Vñ iob in pſona xp̃i· Miſeremini mei
miſeremini mei ⁊c̃· Opoꝛtet etiã vt hõ miſereaẽ
pꝛoximo cui9 mala videt· Vnde in eccleſiaſticõ
Miſeracio hominis circa ꝑximũ ſuũ· Et ſibiipſi
⁊ hoc tripliciẽ ſc3 ꝑ omiſſis plangẽdo illa· Vnð
ihere· Nullus ẽ qui agat penitenciã ſup peccato
ſuo dicẽs quid feci ꝑ omiſſis· Vnde pſa· ve mi=
hi quia tacui ideſt q2 nõ ſũ locut9· quaſi diceret
quia omiſi bonũ quod facere potui Et pꝛo bonis
minus purefactis· Vnde luc· Cum bona omnia
fecerimus dicamus q̃ ſerui inutiles ſumus ⁊c̃·
q̃ſi diceret bona fecim9 nõ bene· nõ pure ⁊ ideo
inutiliter fecimus· ſicut faciẽs elemoſinã ad va
na3 gloꝛiã bonum facit· ſed non bene· non pure
De hac triplici miſeratiõne dicit ecc̃· Miſerere
aĩe tue placens deo· q2 vera cõpaſſio mẽtis debet
eſſe cum exhibicõne opis· ideo bis fiũt cruces
primo de oleo· poſtmodũ de criſmate· Vnde p̃s·
Beatus qui miſereẽ et comodat· qui mẽte miſe
retur et comodat ope· Et qm̃ nõ ſufficit habere
compaſſionẽ in mente cum boni opis exhibicõe
abſq3 odoꝛe bone fame iuxta illud euãgelij Sic
luceant opera veſtra vt gloꝛificeẽ de9· et ideo
fiũt cruces de criſmate qð conſtat ex balſamo
et oleo balſamũ qñ'dẽ ꝑpter bonã famam· oleũ
ꝑpter claritatẽ ⁊ nitoꝛẽ conſciencie quẽ habere
debemus· iuxta illud apl'i· Gloꝛia noſtra hec eſt
teſtimoniũ cõſciẽcie noſtre· Tunc aũt balſamũ

oleo recte coniungiẽ quando bonus odoꝛ miſeri
coꝛdie addiẽ· Rurſus per quinq3 cruces de oleo
et criſmate quinq3 ſenſus coꝛpoꝛis noſtri intelli
gũtur· qui duplicanẽ ⁊ in denariũ ſurgũt quia
quiq3 ſenſibus coꝛpis bñ vtendo ⁊ noſmetipſos
cuſtodim9· ⁊ alios exemplo et doctrina noſtra
in bono ope confirmamus· Vnð ille bon9 nego
ciatoꝛ gloꝛiabaẽ dicẽs· Ecce alia quinq3 ſuplu
cratus ſum · Du3 aũt fiunt ille p̃miſſe inunctio
nes cantatur· vnxit te de9 de9 tu9· quod de xp̃o
dictum eſt· Ter ergo altare inũgitur· bis oleo
tercio criſmate· quoniã eccleſia fide· ſpe· et cari=
tate· que maioꝛ eſt ceteris inſigniẽ· Et dum criſ
ma infundiẽ cantaẽ· Ecce odoꝛ filij mei ſicͥ odoꝛ
a· p· Hic ager eſt eccleſia que floꝛibus vernat
virtutibus ſplendet· opibus fragrat· vbi ſũt ro
ſe martirũ· lilia virginũ· viole cõfeſſoꝝ· ⁊ vires
incipienciũ· Poſt vnctõnẽ adoleẽ incenſũ· quod
deuocõnem oratõnis ſignificat· Qui eñ habet
ſepte3 dona ſpiritusſancti et aſſimulat9 eſt deo·
deuotam poteſt illi offerre orationẽ cui9 habet
ſimilitudinẽ In quinq3 locis adoletur· videlic3 in
quatuoꝛ angulis· ⁊ i medio quia ſic quinq3 ſen=
ſus coꝛpis exercere debem9 vt fama boni opis
noſtri vſq3 ad pꝛoximos extẽdatur· de qua dicit
apl'us· Criſti bonus odoꝛ ſum9 in omni loco· Et
in euãgelio· Sic luceat lux veſtra ⁊c̃ ad hoc in
cenſi frequentatõ eſt ↄtinua xp̃i ſacerdotis atq3
pontificis pꝛo nobis apud deũ patrẽ interpella
cio· Crucem cum incenſo facere eſt eius paſſiõ3
patri oſtendere· et ipſũ ꝑ nobis interpellarẽ · In
cenſũ copioſe in medio ⁊ in angulis cõburere
eſt oꝛatõnes ꝑ iherosolimã ⁊ in vniuerſali eccl'a
multiplicare· Conſequenter altare cum ſigno
crucis confirmaẽ dicẽdo· Confirma hoc de9 ⁊c̃·
que confirmacio ex criſmate a pontifice in frõ=
te lapidis facta ſignificat confirmatõnem que
quotidie fit a ſpiritu ſancto ꝑ caritatẽ i altare
coꝛdis· vt nulla tribulacõ coꝛ noſtrũ a caritate
dei valeat ſepare· Vñ dicebat apl'us · Quis ſe=
pabit nos a caritate xp̃i· tribulatio an anguſtia
⁊c̃· ⁊ ſubiũgit· gloꝛia pr̃i· vt laus trinitati· cãte
tur· Vltima altaris benedictio ſig̃ficat illã fina
lem benedictõnẽ quãdo diceẽ· Venite benedicti
patris mei ⁊c̃· Deniq3 altare linteo candido ex
tergitur ad notandu3 q̃ coꝛp9 noſtrũ caſtitate
vite debem9 mũdare· Deinde bñdicunẽ vaſa veſ=
tes ⁊ lintheamia diuio cultui deputãda· Nã ⁊
moyſes ꝑ· xl· dies edoct9 ẽ a dño facere linthe
amina ⁊ oꝛnamenta in templo neceſſaria· Nã pe
vtẽſilia bñdicere eſt opa noſtra ad deũ referre
Poſt hoc altare albis ⁊ mũdis pannis veſtitur
de quo ſub ti· de altari dictũ eſt· Poſtremo oꝛna
tur eccleſia et accenduntẽ luminaria· Tunc eñ
opera iuſtoꝛũ ſplendeſcent· tunc fulgebunt iuſti
et tanq̃3 ſancti· in arũ· diſcurrẽt· Et inde ſuper al
tare hoc oꝛdine ↄſecrãto miſſa celebraẽ ⁊ ſacri
ficium altiſſimo offereẽ· illud vic3 de quo ꝓpheta
ait · Sacrificium deo ſp̃us contri· ⁊c̃ · ꝑut diceẽ
i ꝓhemio q̃rte ptis· Nõ eñ fieri debet ↄſecratio

ſine miſſa ſcõm gelaſiũ papã quia tunc reuelat
ſacramentũ quod etiã angelis ab inicio fuit ab
ſconditũ. Et attende quomiã i aſperſiõe baſilice
pontifex lineis dũtaxat et minoꝛib9 vtitur in=
dumentis. ſed in miſſa veſtib9 oꝛnat põtificali=
bus ⁊ p̃ciosis recolens q̃ legalis põtifex in li=
neis ſãctuariũ expiabat. ⁊ p9 lot9 i põtificalib9
in olocauſtũ arietem offerebat. ſꝫ quia in eiſdeꝫ
lineis hircum emittebat poſt expiacõnem. ideo
etiã in conſecracione foncium et imerſione cate
cuminoꝛũ vbi peccata eoꝛũ tranſferunt. quidã
vtunt ſimplicibus ⁊ lineis indumẽtis

De cõſecracionibus et vnctionib9

Legitur dominũ precepiſſe moyſi vt cõ
ficeret criſma. quo vnguento vnge=
ret tabernaculũ in dedicacione et ar=
cham teſtamẽti mẽſamqꝫ cum vaſis.
et quo ſimiliter ſacerdotes et reges inungerent.
Moyſes eñ nõ legit fuiſſe vnctus niſi vnctiõe
ſpũali ſic ⁊ xp̃s. Voluit itaqꝫ xp̃s nos vnctione
materiali inungi vt in illa ↄſequamur ſpũalem
et ideo pia mater eccl'ia diuerſas exhibet vnctõ
nes. de quibus hic aliqua ꝑſtringam9 dicentes
Primo quid huiuſmodi ſignificẽt vnxiões. Scdo
ex quibus fiant. Tercio de vnctõe baptizãdoꝝ
Quarto de vnctione baptiſatoꝛũ que per ep̃um
fit in frõte. Quito de vnctõne oꝛdinãdoꝝ. Sex=
to de vnctõe ↄſecrandoꝝ ep̃orum ⁊ principuꝫ.
Septio de vnctõne eccleſie altaris calicis et ali
oꝛum miniſterioꝝ eccleſiaſticoꝝ. Octauo de ex
trema vnctõne. Nono de ↄſecratiõe et bñdictio
ne cimiterij veſtium ⁊ alioꝝ oꝛnamentoꝛũ eccle
ſiaſticorum. Decimo de ↄſecacõne ⁊ benedictõe
virginũ. Circa primũ igit notandum eſt q̃ due
ſũt ſpecies vnctõnis. exterioꝛ que materialis ſi
ue corpoꝛal' ⁊ viſibil' eſt. ⁊ interior que ſpũalis
⁊ inuiſibilis eſt exterioꝛi viſibilit vngit coꝛpus
Interioꝛi ⁊ inuiſibiliter vngit coꝛ. De prima Ia
cobus apl'us ait. Infirmat quis in vobis indu
cat preſpiteros eccleſie ⁊ oꝛent ſup eũ vngẽtes
eum oleo in nomine domini. et oꝛatio fidei ſalua
bit infirmũ. De ſecunda iohãnes apl'us ait. Et
vos vnctõnem. ideſt vnctio quam ab eo accepi=
ſtis maneat in vobis vt nõ neceſſe hẽtis vt ali=
quis doceat vos. ſed ſicut vnctõ eius docet vos
de omnib9. Vnctõ exterioꝛ ſignum eſt īterioꝛis
Interioꝛ vero non ſolũ eſt ſignũ. ideſt ſignatũ.
ſed etiã ſacramentum. q2 ſi digne ſumit vel agit
vel auget abſqꝫ dubio. qđ deſignat puta ſalutẽ
iuxta illud. Sup egros manus imponẽt et bene
habebunt. Circa ſcõm ſciendũ q̃ ad exhibendũ
exterioꝛẽ et viſibilem vnctõnẽ duplex oleum be
nedicitur vicꝫ oleũ ſanctũ ſeu catecuminoꝛum
quo catecumini vngunt. ⁊ oleum infirmoꝝ de
quo infirmi vngunt. de qua vnctõne loquit di=
ctã autoritas. Infirmat quis ex vob ⁊c̃. Qua=
liter aũt fiãt bñdictõnes vtriuſqꝫ olei ⁊ criſma
tis in ſexta p̃te ſub quita feria cene dñi dicetur
Sed queritur q̃re infirmi et catecumini oleo in
vngunt. Reſpõdeo vt ex viſibilib9 inuiſibilia fa

cili9 capiant ſicut eñi oleũ fugando infirmitatẽ
recreat artus feſſoꝝ ⁊ de ſui natura lumẽ p̃ſtat
ſic credendũ eſt q̃ vnctio olei ↄſecrati qđ eſt ſi
gnũ fidei peccata fugando ſanitatẽ aĩe ↄfert ⁊
lumen ei p̃ſtat. Siquidem oleũ viſibile in ſigno.
oleum inuiſibile in ſacramento. ⁊ oleum ſpũale
intus eſt. De oleo infirmoꝛũ auctoꝛitatẽ acce=
pim9 ab apl'is de oleo catecuminoꝝ ab apl'icis
et licẽt deus poſſit oleũ ſpirituale ſine coꝛpoꝛali
tribuere. quia tamẽ apoſtoli pro infirmis. apo
ſtolici p̃ catecuminis hac arte vſi ſunt. Nõ ſine
peccato omitti poteſt. qđ eoꝝ auctoꝛitas conſe
crauit put ſub ti. de altari dictũ eſt. ſicut ⁊ anti
quit9 iuſti ſine circũciſione placuere deo ſꝫ poſt
quaꝫ eis preceptum fuit vt circũciderentur. hoc
omittẽtes peccato ſubiciebant. Tercio dicend
eſt de vnctõne baptizandoꝛũ et quidem in nouo
teſtamẽto nõ ſolum reges ⁊ ſacerdotes vngũt
ſic iam dicetur. Verũ eciã quia xp̃s in ſanguine
ſuo fecit nos deo noſtro regnũ ⁊ ſacerdotes. i.
regales ſacerdotes iuxta qđ petrus apl'us ait.
Vos eſtis genus electũ. ideſt electi ex generi=
bus hoim regale ſacerdociũ. ideſt bene vos re=
gẽtes. Omnes xp̃iani bis ante baptiſmũ vngũ
tur ſꝫ oleo bñdicto primo in pectoꝛe. deinđ inter
ſcapulas. ⁊ bis poſt baptiſmũ. ſed criſmate ſa=
cro. primo in vertice. deinde per ep̃um in fronte
Et ſcõm augu. prime tres vnctões introducte
ſunt pocius vſu quã per aliquã ſcripturã. In pe
ctoꝛe quidem in quo eſt locus coꝛdis baptizan
dus vngit oleo. Primo vt per ſpũſancti donuꝫ
abiciat erroꝛem ⁊ ignoꝛanciaꝫ ⁊ ſuſcipiat fideꝫ
rectaꝫ. q2 iuſtus ex fide viuit. ⁊ coꝛde credit ad
iuſticiam. Inter ſcapulas vero vt per ſpũſancti
graciaꝫ excuciat negligenciã ⁊ toꝛpoꝛẽ ⁊ exer
ceat bonam opacõnem quia fides ſine operibus
moꝛtua eſt. vt p̃ fidei ſacramentum ſit mũdicia
cogitacõnũ in pectoꝛe. p̃ opis exerciciũ ſit foꝛ
titudo laboꝝ in ſcapul'. q̃tenus fides p̃ dilectio=
nem ſecundũ apl'um operetur. Oleũ igit a coꝛde
ad ſcapulas tranſfertur q̃ndo fides que mente
cõcipitur ope p̃ficitur. In vertice vero baptiza
t9 criſmate a ſacerdote inungitur. vt ſit parat9
omni poſcenti de fide reddere racõnem. quia per
caput mens itelligitur. iuxta qđ legitur. Oculi
ideſt itellectus ſapiẽtis. in capite ideſt in mente
eius cuius ſcꝫ mẽtis ſupioꝛ pars eſt racõ ⁊ infe
rioꝛ ſenſualitas. Vnde bene p̃ vertice que ẽſt ſu
pioꝛ p̃s capitis intelligitur rõ que ẽ ſupior pars
mẽtis. de hoc etiã i ſexta p̃te ſb ſabbato ſancto
vbi agitur de confirmacõe dicetur. Ideo auteꝫ
añ baptiſmũ vngitur oleo benedicto. ⁊ poſt bap
tiſmuꝫ criſmate ſacro quia criſma ſoli competit
xp̃iano. xp̃us eñi a criſmate dicitur vel pocius a
xp̃o dicitur criſma non ſcđum nominis foꝛmaꝫ
ſꝫ ſcđum fidei racõeꝫ. A xp̃o vero criſtiani dicũ
tur tanq̃ꝫ vncti deriuentur ab vncto. ſ. a criſto
vt omnes ↄcurrant in odoꝛeꝫ vnguẽti illius. ſcꝫ
xp̃i cuius nomen oleum eſt effuſum. ſꝫ ſcõm vim
nominis xp̃iani a criſmate dicũtur ſcõm p̃hiloꝝ

de hoc dicetur in ꝓhemio ſecunde ptis· Rurſus
ſecundū augu· vnctio ex oleo oſtendit nos ad
auditū plene fidei ꝑparatos ⁊ ad bonū xp̄i odorē
vocatos· ad renunciandūqꝫ dyabolo eſſe cōmo
nitos· Secundo vnctio in pectore ⁊ inter ſcapu
las fit ſcd̄m rabanū vt per fidē vndiqꝫ muniamꝰ
et ad bona opa perficienda per dei graciaꝫ robo
remur· Nam ꝑ pectus fidei virtus· per ſcapulas
vero in quibus onus portatur· hominis robur
et opacio recte intelligit̄· iuxta illud· Alligāt
onera importabilia et ipōnūt humeris hominuꝫ
⁊c̄· Vngit̄· ergo i pectore et inter ſcapulas vt
mente et actu· opera dyaboli poſtponat· et vt ſit
capax ad intelligendum verbū dei· et robuſtus
ad portandū iugum ipſius ⁊ onꝰ legis· Vnctio
vero que fit i vertice· ideſt ſūmitate capitis ſup
cerebra· fit ſecundū ipſuꝫ vt celeſtis regni pri=
ceps fiat inunctꝰ· et qꝛ baptizati anima capiti
ideſt xp̄o deſpōſatur· ⁊ ꝑterea fit cum criſmate
ex oleo et balſamo cōfecto vt ſciamus ꝙ ſpūs
ſanctus ei datur qui inuiſibilit̄ opatur· oleū nāqꝫ
feſſa mēbra fouet et lumen ꝑſtat vt premiſſum
eſt balſamus vero redolere facit· ſiquideꝫ feſſa
ſunt anime membra· quādo penitet ſe ꝯtra deuꝫ
egiſſe ſpirituſſanctꝰ venit ad illā illumināſ eiꝰ
intelligenciaꝫ ⁊ demōſtrans ei peccata ſibi eſſe
dimiſſa vel dimittenda· ⁊ preſtans illi bona opa
que in alijs inſpirant bonum odorem· quod per
fragranteꝫ balſamū deſignatur· Item qꝛ ſedes
ſuperbie que ſemꝑ iuxta ipſius nominis ꝯſonan
ciā ſupiora appetit in vertice eſſe videt̄· Ideo ri=
te fit ibi hec vnctio ſub forma crucis· ⁊ ſb̄ noīe
humilitatis· Hanc vnctōnē ſiluéſter papa fieri
inſtituit per ꝑſpiteros ꝓpter occaſioneꝫ mortis
Vnde credibile eſt ꝙ an̄ eius tēpus vtraqꝫ vn=
ctio· ſcꝫ ⁊ verticis ⁊ frontis epiſcopo reſerua=
batur· Cum eñ gremiū dilataretur eccleſie· nec
omnibus epiſcopi valerent per cōfirmatōnē oc
currere· ideo ne ſine criſmatis vnctone perirent
inſtituit vt a ſacerdotibus in vertice ſupra cere
brū vbi eſt ſedes ſapiēcie vngerētur· ad robur
et augmentū gracie· Vnde ſi poſtea deceſſerint
dixit ſicardus in mitrali ꝙ ꝓ rata gracie augm̄
tuꝫ conſequentur et glorie· Verumtamē ⁊ ſine
vnctōne credimus ſolo baptiſmo ſaluari et ſine
manus impoſicōne ſpūm ſanctum dari cui deus
dare voluerit ꝓut in actibꝰ apl'oꝝ legitur· Ar
naldiſte tamē pſidi heretici aſſerunt ꝙ nunquā
per baptiſmū aque homines ſpūm ſanctum acci
piunt· nec ſamaritani baptizati illum receperūt
donec manus impoſicionē acceperūt· Sane vtra
qꝫ vnctio fit ſecundū rabanum in modū crucis
vt ab eo tēpe dyabolꝰ in vaſe ſuo priſtino cog=
noſcens ſignū ſue interemptionis ſancte crucis
qua interemptus eſt· iam ſibi deinceps illud ſciat
alienū· i· a ſe alienatuꝫ· Fit quoqꝫ ſecundū eū vn=
ctio in pectore cū inuocatiōe trinitatis vt nulle
reliquie latētis inimici in eo reſidiant· ſed in fide
ſācta trinitatis mēs eius ꝯfortetur· ⁊ ſuſcipiat
et habeat intelligētiam mandatoꝝ dei· Quiſqꝫ

ergo fidelis bis inungitur· bis oleo· poſtea ſimi
liter bis criſmate· Prio in baptiſmo in vertice·
Secūdo poſt baptiſmū in fronte· ſcꝫ in cōfirma
cōne· quia etiaꝫ ſpirituſſanctus bis fuit apoſto
lis datus vt dicetur in ſexta pte ſub ſabbato ſā
cto· Quarto loco dicendū eſſet de vnctiōe que
fit ꝑ ep̄m in fronte baptizati· ſꝫ de hoc dicetur i
ſexta pte ſb̄ ſabbato ſancto· Quito loco circa
vnctonē ordinandoꝝ notandū eſt ꝙ manus ꝑ=
ſpiteri ab ep̄o vnguntur vt cognoſcat hoc ſac=
mento ſe per ſpiritum ſanctū ſuſcipe virtuteꝫ et
graciam conſecrandi· Vnde ep̄us eos inungēs
dicit· Conſecrare et ſanctificare digneris domie
manus iſtas per iſtam vnctionem ⁊ noſtrā bene
dictōnem vt quecūqꝫ conſecrauerint cōſecrent̄
⁊ quecūqꝫ benedixerit bn̄· in nomine dn̄i· Ideoqꝫ
viri deuoti oſculant̄ manus ſacerdotū ſtati poſt
ordinacōnem credētes ꝑ hoc oratōnū illoꝝ pti
cipes fieri et bonorū· Et vngūtur oleo ſacro· vt
opera miſericordie ꝓ viribus ad omnes debeant
exercere· Per manus eñ opera· ꝑ oleū miſeri=
cordia deſignatur· Vnd̄ ſamaritanus ille appro
pians vulnerato vinū ſuper infūdit· ⁊ oleū vul
neribus eiꝰ· Vnguntur etiā oleo vt hōmide ſint
ad offerendum deo hoſtiam ꝓ peccatis ⁊ large
ad cetera officia pietatis nō aride ⁊ curue ad re
tinendum· vtrumqꝫ eñ vicꝫ gracia curacōnis ⁊
caritas dilectōnis per oleum deſignat̄· Rurſus
ideo impoſicio manus cum oleo ſup caput ordinā=
di fit· quia per manum opus· per digitos dona
ſpirituſſancti ⁊ per caput mens intelligit̄· Ma
nus ergo imponit̄· quia donis ſpūſſancti mente
imbutus ad opa xp̄i mittitur· Sexto circa epi=
ſcoporum et principū vnctōneꝫ ſciendū ē ꝙ epi
ſcoporū vnctio a veteri teſtamento ſumpſit ori=
ginem· Nā leuit· xxj· c· dicit̄ Pontifex ſup cuiꝰ
caput fuſum eſt vnctionis oleum· ⁊ cuiꝰ manꝰ
ſunt in ſacerdocio conſecrate· Sane ep̄s vngitur
criſmate qd̄ ſicut premiſſū eſt conficit̄ ex oleo ⁊
balſamo· et vngitur illo tā in corpe quā i corde
vt interius nitorem ꝯſciencie ħnt̄ ad deū quod
per oleū· et exterius habeat odorē fame quo ad
proximū quod ꝑ balſamū deſignatur De nitore
ꝯſciencie dicit apl'us· Gloria noſtra hec eſt teſti
moniū cōſciencie noſtre· Nam omnis gloria fi=
lie regis abīꝰ· ſ· ꝓcedit De odore bone fame idē
apl'us ait· Xp̄i bonus odor ſumus· ideſt exemplū
⁊ imitacio ſumꝰ in omni loco et alijs ſumꝰ odor
vite in vitam quaſi diceret ſumus exemplū· dile
ctōnis et bone opinionis ducētis in vitā eternā
alijs odor mortis in morteꝫ· ideſt inuidie ⁊ male
opinionis ducētis in mortē eternam· Debet eñ
ep̄s bonū in ſe habere teſtimoniū· ⁊ ab his que
ſunt intus et ab hijs que ſunt foris vt cortina· i·
fidelis· cortinā· deſt· infidelē trahat ſcꝫ ad fideꝫ
et qui audit· ſcilicet addiſcendo et credēdo dicat
Veni· ſcꝫ predicando et docendo· Hoc vnguēdo
caput et manus epiſcopi conſecrant̄· Per caput
eñ mens intelligit̄· iuxta illud euangelij· vnge
ideſt humilia· caput tuum· ⁊ facieꝫ tuā· i· conſci

enciā lauia lacrimis· Per manus opa deſignan-
tur iuxta illud in canticis· Manꝰ mee· ideſt bona
opa diſtillauerunt mirrā· ideſt dederunt alijs
bonū exemplū· Caput igitur vngitur balſamo
caritatis· Primo vt epus diligat deum ex toto
corde et ex tota mente ⁊ ex tota aīa ſua· ⁊ etiā
xpi exemplo proximū ſuū ſicut· ideſt ad id quod
ſe pſũ· Oleum em̃ in capite eſt caritas in mente
ſcd̃m greg̃· Secundo caput vngit̃ ꝓpter aucto
ritatem ⁊ dignitatē· quia nō ſolū epiſcopus ſed
eciam rex cõſtituitur· Tecio vt oſtendat̃ illius
ſcȝ xpi tanq̃ȝ eius vicarius repſentare perſonā·
de quo dicitur per ꝓphetam· Sicut vnguētū in
capite eius ⁊c̃· Caput em̃ viri eſt xps caput xpi
deus· qui de ſe dicit· Spiritus dñi ſup me eo ꝙ
vnxerit me· euangelizare pauperibus miſit me·
Xp̄us em̃ caput noſtrū vnctus eſt oleo inuiſibili
ipſe pro vniuerſa interpellat eccleſia· eps ꝓ ſibi
cõmiſſa· Manus vero vngunt̃ ꝓpter miſteriū ⁊
officium· Manus quidē que opa ſignāt vngent̃
oleo ideſt criſmate pietatis et miſericordie· Pri
mo vt epiſcopus operetur bonū ad oēs· maxie
aūt ad domeſticos fidei· nemini claudant̃· oibꝰ
aperiant̃ iuxta illud· Manus apuit inopi ⁊ bra
chium extēdit ad paupeȝ· Manꝰ arida manus
auara manꝰ tenacitate ↄtracta apiri nō poteſt·
Vngat̃ igit̃ vt ſanet̃ ⁊ apiatur ⁊ vt indigenti
bꝰ elemoſinas largiat̃· Secūdo vt oſtēdat̃ acci
pere poteſtatē bñdicendi ⁊ ↄſecrandi· Vnde cū
eos ↄſecrator inungit ↄſecrare inquit ⁊ ſancti
ficare domine digneris manus iſtas ⁊c̃· vt ſup·
Tercio vt mūde ſint ad offerendū hoſtias pro
peccatis· Et nota ꝙ licȝ manꝰ epi inuncte fuerit
oleo cū in preſpiterū ordinaret̃· iteruȝ criſmate
vngunt̃ eum in epum conſecrat̃· Siquidem per
manus opa per oleum ſpūſſanctus vel gracie
copia· per balſamum quod oleo admiſcetur in
criſmate odor bone fame deſignatur ecc· xxiiij·
Quaſi balſamū nō mixtū odor meꝰ· qr ergo in
opibus epoꝝ et alioꝝ ſupioꝝ pluſq̃ȝ in alijs in
ferioribꝰ munus ſpūſſancti apparere et odor fa
me ſentiri debet iuxta illud· ij· ad corinthe· ij· Xpi
bonus odor ſumus deo· Nam et in celeſti ierar-
chia ſupiores angeli ſuperioribus donis et grã
eminent· Jdcirco in eorum conſecratõne manus
alias oleo inūcte criſmate rõabiliter iungūtur
Pollex etiā criſmate cõfirmatur· vt pollicis im
poſicio cunctis pficiat ad ſalutē· Nēpe in veteri
teſtamēto nō ſolum vngebatur ſacerdos· verū
etiā rex et ꝓpheta ſicut in libris regū habetur·
Vñ dominus pcepit helie· Vade ⁊ reuertere in
domū tuā p deſertū in damaſcū· cūq̃ȝ perueneris
illuc vnges aſael in regē ſup ſiriaȝ· ⁊ yeu filiū
nauſy vnges regē ſup iſrahel· heliſeū aūt filiū
ſaphat qui ē de abel vnges ꝓphetā p te· Samu
el quoq̃ȝ vnxit dauid in regē· Sed poſtq̃ȝ iheſus
nazarenus quē vnxit deꝰ ſpū ſancto ſicut in acti
bus aplõꝝ legitur· Vnctus eſt oleo p̃ cõſorti-
bus ſuis· qui ſcd̃m apl'm eſt caput eccl'ie que ē
corpꝰ ipſꝰ pricipis vnctio a capite ad brachiuȝ
eſt tranſlata vt princeps a tempore xpi non vn-
gat̃ in capite· ſed in brachio ſiue in humero vel
in armo in quibꝰ principatus congrue deſigna
tur iuxta qd̃ legitur· Factꝰ eſt principatus ſup
humeꝝ eius ⁊c̃· Ad qd̃ etiā ſignandum ſamuel
fecit poni armū añ ſaul cui dederat locū in capi
te menſe añ eos qui fuerant inuitati· Jn capite
vero põtificis ſacramētalis eſt delibucio obſer
uata quia pſonā capitis· ſ· xpi q̃ eſt caput eccl'ie
in põtificali officiõ repſentat· Differt aūt inter
pontificis ⁊ principis vnctõneȝ· qr caput pon-
tificis criſmate ↄſecrat̃· brachium vͦ principis
oleo delinitur· vt oſtēdatur quāta ſit differēcia
inter auctoritatē põtificis ⁊ principis poteſta-
tem· Et nota ꝙ ſicut in euāgelio legit̃ quidā pr̃
familias vocauit ſeruos ſuos ⁊ dedit ill'· x· mnas
Siquidem vocacõ ſerui· eſt canonica electõ epi
que fit ſecūdū vocatõnē domini vocantis aaron
Mna datur ei qñ is qui ſibi manus impoſuit dat
ei textū euangelij dicens· Vade pdica· ⁊ ipſe cū
primo igreditur ciuitatē ſuaȝ pfert euangeliū
in pectore ſuo iuxta morem quorundam eccle-
ſiarum· oſtendens quaſi negociator mnam ſuaȝ
Jn quibuſdam etiaȝ eccleſijs cum archiepſ dat
illi virgam et dicit· Vade predica· et ille ſtatim
bñdicit ppl'm in quo ſignatur ꝙ moyſes cū vir
ga miſſus eſt in egiptuȝ Rurſus epiſcopi in die
ſue conſecratõnis conſueuerūt equitare equos
albis pānis coopertos repſentātes illud quod
leg̃ ē· in apoc· xix· c· Exercitꝰ qui ſunt in celo ſe
quuntur illuȝ in equis albis· Siquidē exercitus
qui ſunt in celo ſunt boni ⁊ iuſti viri ⁊ p̃lati qui
quotidie ſequūtur ꝓ celeſtibus deū in omnibꝰ
bonis opibꝰ· qui ideo dicūtur eſſe in celo qr ſola
celeſtia diligunt et querūt· Vnde aplꝰ· Noſtra
conuerſacio in celis eſt· Hij exercitus· ideſt iu-
ſti et boni viri et p̃lati ſequūtur iheſum· qñdo· ſcȝ
expugnant in ſe vicia per correctõneȝ· ⁊ in pxi-
mis per ammonicõeȝ· Vñ iacobus· Qui ↄuerti
fecerit peccatorē ab errore vie ſue liberabit ani
mā ſuā a morte ⁊c̃· Jſti exercitꝰ ſūt in eq̃s albis
et in corporibus caſtis· Corpora bonoꝝ dicunt̃
equi· quia ſicut equi dirigunt̃ ſcd̃m voluntatem
ſeſſoris· ita iuſtoꝝ corpora reguntur ſecundum
voluntatem xpi· Jſti equi debent eſſe albi ſiue al
bis operti· ideſt corpora iuſtorū et prelatorum
debent eſſe caſta et munda· Si em̃ caſta nō fue-
rint xpm ſequi nō poterunt· Et petrus· Xp̄s paſ
ſus eſt pro nobis· vobis relinquens exemplum
vt ſequamini veſtigia eius ⁊c̃· Sed ⁊ clerici ſan
cte romane eccleſie ex ↄceſſione cõſtantini impa
toris equitant equos decoratos linteaminibꝰ
candidiſſimi coloris· Qua die debeat epus cõſe
crari ⁊ quare codex euangelij ponit̃ ſup hume-
ros conſecrandi· dicetur in ſecunda pte ſub ti-
de epo· Septio loco dicendū eſt de ↄſecracione
eccleſie· altaris· calicis· ⁊ alioꝝ miniſterioꝝ ec
cleſie· que ſcd̃m morem cū dedicantur inungūt̃
non ſolū ex mandato legis diuine· veruȝ etiam
exemplo beati ſiluestri qui qñ ↄſecrabat altare

illūd criſmate pungebat. Precepit eniꝫ dominꝰ
moyſi vt faceret oleū vnctōis de quo vngeret
tabernaculū teſtimonij. menſā. archā teſtamēti
cādelabrum et ſuppellectilia. exo. xxx. ꝛ. xl. c. et
alia vt pmiſſum eſt. Que vnctōnes fiunt vt re-
bus inūctis maioꝛ reuerēcia exhibeať. ꝛ maioꝛ
eis gr̄a infundať. De his vnctionibꝰ in ſuis lo
cis dictum eſt et diceť. Verū vnctōnis ſacmen
tum aliud quideꝫ efficit ꝛ figurat tā in nouo q̄ꝫ
in veteri teſtamento. Vnde non iudaizat eccleſia
cum vnctionis celebrat ſacramētū. ſicut aliqui
antiqui menciūtur. qui neqꝫ ſcripturas neqꝫ dei
nouere virtuteꝫ. De vnctionibus eccleſie ꝛ alta
ris in ſuis titulis dictū eſt. Pathena ſiquidē cō
ſecratur et inūgitur ad āminiſtracōneꝫ corpis
xp̄i qui in ara crucis ꝓ omnium ſalute imolari
elegit. Nā ꝛ omnipotens deus aſperſā ſimulagi
neꝫ in patenis aureis et argēteis ad altare ſuū
deferri iuſſit. Calix quoqꝫ conſecratur et inun-
gitur vt gracia ſpūſſancti perficiatur nouum ſe
pulchrū corporis ꝛ ſanguinis xp̄i. et ipe digneť
illum ſua virtute pfundere qui calicem melchi
ſedech famuli ſui perfudit. Octauo de extrema
vnctōe que ſcꝫ ex inſtitucione felicis pape q̄rti.
et ex p̄cepto iacobi apl'i dať laborantibus in ex-
tremis. dicendū eſt. de qua dicūt quidam ꝙ illa
non eſt ita ꝓprie ſacramentū ſicut criſmatō que
fit in fronte vel alias. quia ſicut aſſerūt iterari
poteſt cum ſit oratio ſup hominē. qđ in ſacramē
tis non otingit. Sane hec vnctio p ſolum ſacer-
dotem fieri poteſt ſi plures adeſſe non poſſunt. p
quam quidem venialia remittunť. iuxta illud. ia
cobi. Infirmatur quis ex vobis. vt ſup̄. Fit autē
vnctio hec in diuerſis corpis mēbris ꝓpter cau
ſas que ex oratiōibꝰ que tūc dicunť ꝛ colligūť
et ſpecialiť in illis in quibus quinqꝫ ſenſus hōis
vigent. vt quicquid p illos infirmus deliquit p
huius vnctionis virtutē aboleať. In quibuſdam
ordinarijs legiť. ꝙ inungēdus debet eſſe ad mi
nꝰ. xviij. annorū. ꝛ ꝙ egrotans ſemel dūtaxat
debet in anno inungi. licet pluries egrotet. ꝛ ꝙ
nullus inungendus eſt niſi qui priꝰ cōpos men
tis exiſtens verbis aūt ſignis id poſtulauerit. ꝛ
ꝙ non debent ſcapule inungi. quia in baptiſmo
fuerūt inuncte. et ammodo miniſterio carent. ꝛ
ꝙ confirmatus nō debet inungi in fronte. ſꝫ in
timporibus. nec p̄ſpiteri manus vngi debent inte
rius. ſed exterius. qꝛ in ordinaciōe eiꝰ interius
inuncte fuerunt ꝛ ꝙ ab epiſcopo ſemel iunctus
non debet ꝓpter eius reuerenciam vlteriꝰ p pre
ſpiterum benedici. Et ꝙ ſi eger inunctus oua le
ſcit loca inuncta lauentur. ꝛ aqua lo cōnis in ig
nē ꝓiciať. Si vero decedat nō laueť corpus ꝓpť
recenteꝫ vnctionē. ꝛ ꝙ ſi eger in extremis labo
rat. cito vngať ne inūctus decedat. Quidā etiā
penitentes ꝛ morituri ciliciū induunt et ſternū
tur in cinere vt diceť in ſexta pte ſub q̄rta feria.
in capite ieiunioꝝ. Nono cimiteriū quod eiſdem
gaudet priuilegijs cum eccleſia ōſecratur ꝛ be
nedicit. ſicut dominꝰ benedixit p manꝰ ſeruorū

ſuorū abraham yſaac ꝛ iacob terram a filijs ef
frem cauſa ſepulture compatam. Benedicit aūt
vt vlteriꝰ deſinat illic immūdorū ſpirituū habi
tacio eſſe ꝛ fideliū corpora ibi vſqꝫ in diē iudicij
requieſcant in pace. niſi paganoꝝ vel infideliuꝫ
vel etiā excōicatorum corpa ibi fuerint huma-
ta donec inđ fuerit eiecta. Illud eciā nota ꝙ pal
le altaris veſtimēta ſacerdotalia ꝛ huiōi eccleſia
ſtica ornamēta benedicēda ſunt. Legimus enim
moyſen ex precepto domini tabernaculū diuinis
precibus ſacraſſe cum menſa ꝛ altari ꝛ vaſis ꝛ
vtenſilibus ad diuinū cultū explendū. Si ergo
iudei qui legis ꝛ futuroꝝ vmbre ſeruiebāt hec
agebant. hebreoꝝ. viij. et. x. c. quātomagis nos
quibus veritas p xp̄m patefacta eſt hoc agere
debemus. ꝛ hoc p ep̄os ſacratos. et non p coepi
ſcopos. Vnđ legiť exo. penl'. c. Cuncta vaſa mi
niſterij. benedixit moyſes. Et ſi ſacre veſti pecia
vel filū adiungať. non ideo benedictiōeꝫ iterari
debere iuris teſtimonio comprobať. Quare aūt
res huiōi ꝛ ſimiles benedicanť ex eaꝝ bn̄dictiōi
bus colligitur euidenť. De veſtibus vero ſacris
dicetur in prohemio tercie ptis. Et attēde quia
benedictio ſeu conſecratio eccleſie et veſtiuꝫ et
ornamentorum eccleſiaſticoꝝ non fit eo ꝙ illa
ſint gracie ſuſceptiua cum ſint inaiata. ſꝫ hoc no
ſcitur introductū. qꝛ ſicut ꝛ homies ſic ꝛ illa p
benedictionem et conſecrationem diuino cultui
abilitantur ꝛ idonea ꝛ maioris reuerēcie efficiū
tur. Perſonis vero p vnctionē et benedictioneꝫ
maioꝛ gracia infūditur. Quidā aūt in ornamē
toꝝ benedictōne manus ſuſpendūt. de quo dice
tur in ſcđa pte ſub ti. de dyacono. Decimo eſſet
de virginū conſecratōne dicendū. ſed de hoc in
ꝓhemio ſecunde ptis dicetur.

De eccleſiaſticis ſacramentis.

Circa eccleſiaſtica ſacmēta notandu m
eſt ꝙ ſcđm greg̃. ſacramentum eſt in
aliqua celebratione cuꝫ res geſta ita
fit vt aliquid ſig̃ficate rei accipiamꝰ
qđ ſancte. ideſt digne accipiendū eſt. Miſteriuꝫ
vero eſt qđ occulte ꝛ inuiſibiliter opatur ſpūs
ſanctus. ita ꝙ opādo ſignificat. ꝛ ſignificando
benedicit. Miſterium em̄ eſt in ſacmentis. mini
ſterium dicitur i ornamentis. Sed et ſcđm aug̃.
ſacramētū eſt inuiſibilis gracie viſibilis forma.
Item ſacrificiū viſibile. inuiſibile ſacramentum.
Item idem ſignū eſt res p̄ter ſpeciem quā inge
rit ſenſibꝰ. aliquid aliud ex ſe faciēs in cognicio
neꝫ venire. Dicitur etiā ſacramentū ſacre rei ſig
nūm vel ſacrum ſecretum. De hoc etiā in quar-
ta pte ſub. vj. pticula canonis diceť. ſup verbo
miſteriū fidei. ꝛ ſub ti. de oblacione. Sane q̄daꝫ
ſunt ſacramēta neceſſitatis tantū. quedaꝫ digni
tatis et neceſſitatis. quedaꝫ ordinis et neceſſita
tis. quedā dignitatis. ꝛ voluntatis. quedā vero
voluntatis tantū. Sacramentuꝫ neceſſitatis tm̄
eſt baptiſmus. qui i ſūma neceſſitate a quocūqꝫ
dū tn̄ in forma eccleſie collatꝰ fuerit pficit ad
ſalutem. Et diciť neceſſitatis quia ſine eo nemo

ſaluari poteſt ſi ex ꝯtemptu deſerat̃. De hoc ſa-
cramēto in .vj. pte ſub ſabbato ſācto dicet̃. Sac
mētū dignitatis ⁊ neccitatis eſt ꝯfirmacio dig
nitatis quia a ſolo epo ꝯfertur. neccitatis quia
ex cōtemptu illud dimittentes non ſaluant̃. De
hoc etiā ſub dicto ſabbato dicet̃. Sacmēta vero
ordinis ⁊ neceſſitatis ſūt penitencia. eukariſtia
et extrema vnctō. ordinis. quia tm̄ a rite ordina
tis ſcd̄m claues eccleſie dari debēt. niſi in neceſ
ſitate in qua quis poteſt etiā laico ꝯfiteri. neceſ
ſitatis. quoniā ex cōtemptu illa dimittēs ſalua
ri nō poteſt. De penitencia vide in ſexta pte ſub
ti. de quinta feria cene dn̄i. Et diximꝰ in repor-
torio noſtro ſub ti. de pe. ⁊ re. De eukariſtia in
q̄rta pte ſub canone dicet̃. De extrema vnctōne
in p̄cedenti ti. dictū eſt. Sacramētum vero dig-
nitatis ⁊ voluntatis eſt ordo/dignitatis. quia a
ſolis epis confert̃ vel quia nō niſi dignꝰ et dig
ne ad illum aſſumēdus ē. voluntatis qꝛ ſine illo
quis ſaluare poteſt. De hoc dicet̃ in ꝓhemio .ij.
ptis. Sacramentū voluntatis tm̄ eſt matrimoni
um. Et dicit̃ voluntatis. qꝛ ſine illo quis ſaluari
poteſt. Non enim expedit homini ad regna ce-
lorū tendere volēti nubere. Circa qd̄ notandum
eſt ꝙ ſcd̄m canones ſolemnitas nupciaꝝ faciē-
da nō eſt a .lxx. quod eſt tempꝰ triſticie. vſq; in
octauā paſce. nec tribus ebdomadis an̄ feſtū io
hānis. Sed ſcd̄z ꝯſuetudinē eccl'e generalis ma
trimoniū publice cōtrahit̃ in eccleſia a craſtio
dominice in albis. vi3 ab octaua die paſce vſq;
ad primū diem rogacōnū. Et in prima die roga
cōnū in mane claudit̃ hec ſolēnitas ⁊ durat ꝓhi
bicio vſq; ad octauū die3 poſt pentho. incluſiue
et ſic loquit̃ clemēs papa in ſua epl'a decretali
A prima quoq; dominica aduētus vſq; ad epi
phaniam nō debēt nupcie celebrari. Nec etiā fie
rēt vſq; ad octauā epiphanie niſi qꝛ dn̄s nupci
as tum ſui p̄n̄cia. tum etia3 miraculo decorauit.
Vn̄ tūc cantat̃. Hodie celeſti ſponſo iuncta eſt
eccl'a. Quidā tn̄ dicunt ſanctius eſſe ꝙ hec pro
hibicō vſq; ad octauā ipſius feſti extēdat̃. ſic et
officiū ꝯuerſiōis aque in vinū in nupciis. In pre
miſſis ergo tēporibꝰ matrimonia nō ꝯtrahūt̃.
quoniā ipſa tempora ſunt oratōni deputata. Et
ideo debet tunc homo a lecto vxorio ſeqſtrari.
Generaliter em̄ tempore quo abſtinet̃ a nupciis
abſtinendū ē etiā a ꝯiugali amplexu. niſi forte
ob fragilitate3 hūanitatis vir ab vxore poſcat
coniugale debitū vel ecōuerſo. quoniā poſcenti
ſoluendum eſt. qꝛ ſcd̄m apl'm vir nō habet pote
ſtatem corpis ſui. ſed mulier et econuerſo. Lic3
autē ſolemnitas nupciaꝝ p̄miſſis tēpibus inter
dicta ſit quocumq; tn̄ tempe matrimoniū legit-
time p verba de p̄n̄ti ꝯtractum tenet. Qd̄ vero
ſtatutum fuit in canone ꝙ tribꝰ ſeptimanis pre
cedētibꝰ feſtū beati iohānis baptiſte nupcie nō
celebrarent̃. ideo factū fuit vt liberius orōni va
cet̃. Inſtituerat em̄ eccl'a priꝰ duas quadrigeſi-
mas p̄ter maiorē. vnā āte natale dn̄i. que cōiter
vocat̃ ſancti martini. ⁊ durabat vſq; ad natale

Aliam ſc3 .xl. dieꝝ ante feſtu3 beati iohā. bap.
in quibus vacādū erat orōnibus elemoſinis et
ieiuniis. ſed ꝓpter hominū fragilitatem ille due
ad vnā ſunt redacte. ⁊ iteꝝ illā diuiſa eſt i tres
ebdomodas aduētus. ⁊ tres an̄ natiuitatē ſācti
iohānis. in quibus eſt ieiunandū ⁊ a nupciis eſt
abſtinendū. Porro ſcd̄m yſidorū femine dū ma
ritant̃ ideo velant̃ vt nouerit ſe ſemp viris ſuis
ſubditas eē. Et qꝛ rebecca viſo yſaac ſe velauit
Item ideo nubentes poſt benedictione3 vita vno
inuicem vinculo copulant̃. ne cōpagem. ideſt ſi
dem cōiugalis vnitatis dirumpāt. Eadem vero
vita cādida purpureoq; colore ꝑmiſcetur. quia
candor eſt mūdicia vite. purpura ad ſanguinis
poſteritatē adhibetur. vt hoc ſigno ⁊ cōtinencia
et lex cōtinēdi ab vtriſq; ad tempꝰ ammoneat̃
et poſt hoc reddēdum debitum non neget̃. Item
ꝙ in primis ānulꝰ a ſpōſo ſpōſe dat̃ fit nimiru3
ꝓpter mutue dilectōnis ſignū vl' ꝓpt̃ id magis
vt pignore. ideſt ſigno corda eoꝝ iungant̃. Vn̄
et in quarto digito ānulus ideo inſerit̃. qꝛ in eo
vena quedā vt fert̃ ſanguinis ad cor vſq; pue-
niat. Item ꝓtheus quidā ſapiens primū ob amo
ris ſignum ferreū ānulū fecit ⁊ inibi ad amātē
incluſit. ⁊ inde ſubarrare ſponſas iſtituit. quia
ſicut ferrū omnia domat. ſic amor omia vincit.
quoniā nihil amoris furore vehemencius. et ſic
adamas eſt infrangibilis. ſic ⁊ amor eſt inſupa
bilis. Fortis eſt eni3 vt mors dilectō. Ideoq; in
digito ānulari in quē vena ꝓcedit a corde illum
portare inſtituit. Poſtmodū vero ꝓ ferreis ſūt
aurei conſtituti. et p adamāte gēmis ornati. qꝛ
ſic auru3 cetera metalla. ſic amor vniuerſa bona
p̄cellit. et ſicut auꝝ gemma decorat̃. ſic cōiuga
lis amor ceteris virtutibꝰ adornat̃. Nupcie aūt
ſcd̄m ambroſiū dicte ſunt ab nubēdo. illi em̄ qui
nubunt caput ꝓpter verecundiā obnuberē non
loqui ſolēt. Vn̄ de rebecca viſo yſaac cui deſpō
ſari debebat caput ob nubere cepit. Verecūdia
nanq; debet p̄cedere nupcias quo ipm̄ cōiugiu3
pluſ verecundia commendet. ⁊ magis expetita
debet videri a viro q̄3 ipſa verū expetiſſe. Sed et
ſcd̄m hiero. Cōnubia legittima peccata carent
nō tamē tēpore illo quo actus ꝯiugales gerūt̃
p̄ſencia ſpūſſancti dat̃. etiā ſi ꝓpheta eſſe videa
tur qui officō generacōnis obſequit̃. Notandū
etiam eſt ꝙ triplex ſpūale ſacramētū in carna
li matrimonio ꝯſumato deſignat̃. Primū ſacra-
mentum eſt vnio fidelis anime ad deum p fide3
dilectōnem et caritatem. ſiue vnio voluntatis.
ſc3 caritas que ꝯſiſtit in ſpiritu inter deū et iu-
ſtam aia3. Vn̄ apl'us. Qui adheret deo vnꝰ ſpi
ritus eſt cū illo. Hoc ſacramētū ſignificat̃ p cō
iunctōnē animoꝝ habitā in prima deſpōſatiōe
carnalis matrimonij Secundū eſt vnio humane
nature ad deu3. que facta eſt in vtero virginali
p incarnacōne3 verbi dei. ſiue nature ꝯformitas
que cōſiſtit in carne inter xp̄m et ſanctā eccl'a3
Ad qd̄ ptinet illud. Verbū caro factū eſt ⁊c.
Hoc ſacramētū deſignat̃ in mr̄imonio carnali

ꝑ coniunctionē corporum ꝯſūmato. non ꝙ ipſa
ꝯiunctio in qua ſpūſſāct9 nō adeſt illō deſignet
ſed ꝑ ipm actum conſumatum ſignificat̃. Terci
um ſacramentuꝫ eſt eccleſie vnitas ex omnib9
gentib9 collecta. ⁊ vni viro ſcꝫ criſto ſubiecta
Hoc ſacramentū ſignificat̃ in eo qui vnicā tā-
tum ⁊ virginem habuit vxorē facto poſtmodū
clerico et ordinato. Vbi vero quis ad bigamiaꝫ
ſiue ad ſecundū matrimoniū tranſit iā ab vnita
te recedit. quia carnem ſuā in plures diuidit. et
ſic huius tercij ſacramēti ſignacō in eo nō cadit
quare ꝓmoueri nō poteſt. Nam ꝓmotus vnita
tem ſignare non poſſet. Preterea ꝑ ſecundū ma
trimoniū recedit a prioris coniūctiōe mr̃imonij
Eccleſia vero ex quo ſe xp̄o coniunxit nunquaꝫ
ab eo deceſſit. nec ipſe ab ea. bigamus ergo ta-
lem vnitatē ſigficare nō pōt. Vn̄ merito ꝓpter
huius ſacramēti defectū ꝓmoueri non poteſt.
Illud eciam nota ꝙ ſic ſtatutū eſt in ꝯcilio car
taginen̄. ſponſus ⁊ ſpōſa benedicendi a parenti
bus vel a paranimphis offerant̃ eccl'ie ſacerdo-
ti. accepta autē benedictōne eadeꝫ nocte ꝑ reue
rencia benedictionis in virginitate permaneant
Ceterum nupcie benedicende ſūt a ſacerdote cū
precibus ⁊ oblacionibus ex inſtitucōe euariſti
pape. Verumtamen vir et mulier ad bigamiaꝫ
tranſiens mr̃imoniū ꝯtrahendo non debet a pre-
ſbitero benedici. qꝛ cum alia vice benedicti ſint.
eoꝝ benedictō nō iterari debet. Non ergo debēt
nupcie benedici. niſi vbi virgo cū virginē ꝯtra-
hit ꝓpter rationem que ponit̃ in ꝓhemio ſecū de
ꝑtis. ymo p̄ſbiter qui benedictionē cum ſecūda
vxore celebrauerit. officio ⁊ beneficio ſuſpēſus
eſt ad ſedem apoſtolicam mittendus. qd̄ quideꝫ
ad exhortacōnem cōtinencie noſcit̃ introductū
Secundū quorundā locorū conſuetudineꝫ ſi qs
ꝯtrahit cum ſecunda virgine benedictio iterat̃
et hoc ſi dominus papa ſciat et tollerat. alioqui
non valet. Dicunt etiā quidaꝫ ꝙ ſi alique virgi
nes ꝯtrahētes nō fuerint bn̄dicti facti bigami
iterū contrahendo poterunt benedici ſed et ſi cō-
trahentes fuerint benedicti. licet ſe non cogno
uer'nt carnaliter. non ideo iteꝝ contrahētes bn̄
dicētur. De benedict̃ ōe virginū dicetur in ꝓhe
mio ſcde ꝑtis. Notandum autē eſt ꝙ vnū ſacra
mentū dignius eſt alio quatuor modis. ſcꝫ rōe
efficacie. vt baptiſm9. rōne ſanctitatis. vt eucari-
ſtia. ratōne ſignificacōnis. vt ꝯiugium. Quidaꝫ
tamen non approbant iſtū modū. et racione ꝯfe-
rentis. vt cōfirmacio ⁊ ordo. Sed querit̃ quare
inſtituta ſunt ſacramēnta. qꝛ ſine illis potuiſſet
deus humano generi vitam eternam et graciā
donaſſe. Reſponſio. ꝓpter tria. Primo ꝓpter hu-
miliacionē. vt dum homo ex dei p̄cepto ſe reb9
inſenſibilibus et ſe inferiorib9 reuerent̃ ſubicit
ex hac obediencia magis apud deū mereat̃. Se
cundo ꝓpter erudicioneꝫ vt per id quod foris in
ſpecie viſibili cernitur ad inuiſibilē virtuteꝫ que
inter9 eſt agnoſcendā mēs erudiatur. Tercio
ꝓpt̃ exercitacionē. quia cum homo ocioſus eſſe
non debeat ꝓponitur ei vtilis et ſalubris exerci
tacio in ſacramentis qua vanaꝫ ⁊ noxiā declinꝫ
occupacōnem. iuxta illud. Semper aliquid boni
opis facito vt dyabolus inueniat te occupatū.
Non ergo debent omitti ꝓut in precedēti titulo
dictum eſt.

Incipit liber ſecundus de miniſtris ⁊ ordi
nibus eccleſiaſticis ⁊ de eoꝝ officijs.

In hac ſecunda parte de miniſtris et ordinibus
eccleſiaſticis eoꝝqꝫ officijs tractare ꝓuidimus.
premittentes ꝙ tres ſunt ſecte famoſe. videlicet
Gentilium. Hebreoꝝ. et Xp̄ianorum. Prima eſt
erroris. Secunda veritatis. Tercia veritatis et
ſalutis. In prima naufragam̄. In ſecunda a peri
culo eripimur. In tercia ſaluamur. Prima ſecta
dicit̃ a ſecando. quia ſecat. ideſt ſepat nos a deo
Secunda ⁊ tercia a ſectando ⁊ tenēdo. quoniam
illuminant ſaluāt ⁊ liberant. Xp̄ianorum pſone
tam ſeculares q̄ꝫ eccleſiaſtice ab alijs duab9 ſe
ctis ſumpte ſūt. hebrea vicꝫ ⁊ gentili. Sicut eniꝫ
apud nos duo ſūt genera pſonaruꝫ. ſcꝫ laicales
et eccleſiaſtice. ſic et apud gentiles et hebreos.
Apud gentiles quidē ſeculares pſone erāt hee
monarcha. ſcꝫ impator romanus. patricij qui et
ſenatores dicebant̃. ad quoꝝ arbitrium vniuer
ſa ordinabantur. reges. duces. comites. p̄ſides.
p̄fecti. ſuffecti. tribuni militum. tribuni plebis.
pretores. centuriones. decuriones. quaterniōes
duumuiri. queſtores. ediles. et aule ianitores.
Inter poetas vero erant aduocati carminū. re-
latores carminū. ſcriptores comedi. tragedi. ⁊
hiſtoriographi. Vates autē qui a vi mentis di-
ctus eſt. modo ſacerdotem. modo ꝓphetam. mō
poetam ſignificat. ſcdm yſidoꝝ. In ritu templo
rum erant apud gentiles archiflamines. ꝓtho-
flamines flamines ⁊ ſacerdotes vt iaꝫ dicetur
Erāt quoqꝫ apud eos viroꝝ ⁊ mulieꝝ religioſi
conuēt9. Apud hebreos quoqꝫ eadē erat diuer
ſitas pſonaꝝ. alie nanqꝫ erant ſeculares. alie di
uino cultui. vicꝫ in templo dedicate. In templo
erāt ſūm9 ſacerdos vt melchiſedech. minores ſa
cerdotes. leuite. natinei. luminū extinctores. exor
ciſte. ianitores. et edicij. ſeu cātores. Sup ꝑpl'uꝫ
vero regendum erat dux ꝑpl'i moyſes. et ſub eo
quos ipſe ꝯſtituerat ad cōciliuꝫ ietro ſoceri ſui
Erāt etiā ciliarche. et acontarche. pētacōtarche
⁊ decacōtarche. i. millenarij. cētenarij. quinqua
genarij. et decani. Cilios eniꝫ interpretat̃ mille
et archos princeps. inde ciliarcha. i. princeps ſu
per mille. etacentū. inde etacōtarcha. qui ſup cē
tuꝫ poteſtatē habebat. Penthacōtarchus dicit̃
qui preeſt quinq̄ginta. pentha. eīn̄ quinqꝫ ſonat.
Decanus qui decē. deca eīn̄ decem ſonat. Apud
xp̄ianos q̄ꝫ ſimilis diuerſitas reꝑitur. Et nota ꝙ
xp̄iani a xp̄o dicti ſunt. xp̄i vero a criſmate de q̄
dictū eſt in ꝑte prima ſub ti. de ꝯſecracionibus.